SYMBOLAE
LITTERARIAE
OPVSCVLA VARIA

PHILOLOGICA SCIENTIFICA ANTIQVARIA

SIGNA . LAPIDES . NVMISMATA . GEMMAS

E T

MONVMENTA MEDII AEVI
NVNC PRIMVM EDITA COMPLECTENTES

VOLVMEN SEPTIMVM


Ornatum Tabulis VII. aere incisis



FLORENTIAE. CIϽ . IϽ. CC. LI.

EX TYPOGRAPHIO ALBIZINIANO

PRAESIDVM PERMISSV



INCLVTO . NOBILI . MAGNANIMO

DOMINO . IOSEPHO

DE FRANCE

A CONSILIIS . AERARII

ET . DIRECTORI . THESAVRORVM

AVGVSTISSIMAE IMPERATRICIS

REGINAE HVNG. ET BOHEMIAE

ANTONIVS FRANCISCVS GORIVS

FELICITATEM

ERVDITOS HOMINES, qui iuvandis ornandisque bonarum artium studiis sedulam navant operam, in clientelam suscipere, proprium est Principum, Virorumque cum nobilitate generis,

tum disciplinarum cognitione, et cultu praestantium; qui ad exemplum Dei Optimi Maximi ac Beneficentissimi, eos omni ope et praesidio erigere, fovere, ac tueri gaudent quammaxime: quod dum liberaliter faciunt, nemo est, qui non videat, quam ingentia sint eorum merita; quantumque lucis atque adiumenti adferant Litterariae Reipublicae, et quam mirifico laudum proventu nominis sui augeant claritatem. Divinum hoc iuvandi optimas artes studium, et earum Cultores, quum in Te, VIR PRAECELLENTISSIME, miro modo florere et excellere iamdudum fama ad aures meas pertulisset; et Viri docti, qui Te in Caesarea Austriaca Aula eximio munere fulgentem norunt, inter familiares periucundos de Re Litteraria sermones cumulatissime mihi confirmassent; statui, ubi primum opportunam nactus essem occasionem, et quod Tibi placere posse cognoscerem, fors

ob-

obtulisset, me totum patrocinio tuo amplissimo offerre, et commendare; unaque perpetuo aliquo laudis monumento egregiae virtuti, eruditioni, ac magnanimitati tuae debito et consentaneo animum meum perpetuo Tibi dicatissimum testari. En igitur, quum id quod cupiebam, feliciter contigerit, sisto Tibi Antiquitatis Scrutatori et Locupletatori laudatissimo, consecro, dedicoque Opus vigiliis et lucubrationibus ornatissimum, quod magnopere Tibi gratum fore, titulisque omnibus acceptissimum spero; nam continet selectiora complura NVMISMATA POPVLORVM ET VRBIVM, et alia omnium rarissima, nunc primum e ditissimis Cimeliis Vindobonensibus, Granellianis, tuis etiam, ac praesertim e Regio Cimeliarchio Caesareo, depromta, quae pereruditis Animadversionibus inlustravit Vir Doctissimus, totoque Antiquario Orbe Celeberrimus, A. R. P. ERASMVS FROELICH, e Societate


Iesu, mihi amicissimus. Quum igitur ipse complura Numismata ex tuis Cimeliis praeclara et insignia, humanitate tua largiente ac favente, acceperit, vel tacitus, Te Patronum ac Maecenatem mihi aliquando futurum praenunciavit, laudata non semel eruditione tua, tuoque in ingenuas artes, et studia amore, ac favore; viamque quodammodo mihi aperuit, ut huiusmodi Opus virtutis et nobilitatis tuae splendore, atque ornamentis cumularem. Vtinam, Te auspice, atque opitulante, alia, quae habet, et si otium aliquando est, elucubrare potest idem V. C. FROELICH, ad opes Thesauri Numismatici augendas, de quibus humanissime me monuit, ad me mittat! Dum enim vires comparo ad alia quaedam sumtu maximo in lucem edenda, nimirum Vasculariam Etruscam ad continuationem mei Musei, ad Thesaurum antiquorum Diptychorum, et Gemmarum, praesertim Homericarum

ricarum, perficiendum, proferendumque, iucundo me oblector ſtudio *Symbolas Philologicas* colligendi, quas ab amicis doctis viris accipio, laetorque maxime ut publico bono et commodo lucem adſpiciant optatiſsimam. Haec quoque eſſe vota tua probe ſcio, VIR INLVSTRISSIME, qui ut Litterario Orbi prodeſſes; ea de re magnificis atque ingentibus ſumtibus rariora ac ſelectiora Numiſmata, Gemmarum item, Statuarum, Anaglyphorum, omniſque Vetuſtatis Cimeliorum ingentem vim comparaſti, atque miro decore, elegantia, atque ordine (qualem etiam recens in CAESAREVM AVSTRIAE THESAVRVM introduxiſti) in tuo ditiſsimo Muſeo conlocaſti, ut praeſtantes doctrina viri quantum tuis curis profecerint, Genio tuo bonarum artium Praeſtiti ac Fautori acceptum referrent. Sed ex adiecto praeſertim Numorum Aureorum AVGVSTALIVM Catalogo, quem modo, Te auſpice

ac

ac favente, mecum humanisime communicavit idem Celeb. P. FROELICH, quum hi Numi in VAILLANTIO et BANDVRIO desiderentur, omnes clarius intelligent, quanto iudicio et eruditione polleas in perscrutandis colligendisque hisce Vetusti Aevi deliciis, cui nonnisi omnium rarisima Cimelia placent, quae Graecae et Romanae Historiae lucem adferunt maximam. Haec igitur omnia sicuti immortalem Tibi nominis gloriam pepererunt; ita omnes ad Te amandum et colendum magnopere adliciunt; meque suavissime cogunt, ut Tibi perpetuo obsequio ac benevolentia sim divinctissimus. Interim Tibi, VIR SPLENDIDISSIME, me totum omniaque mea studia etiam atque etiam commendo; Deumque immortalem precor, ferventibus votis, ut vivas Reipublicae Litterariae bono quamdiutissime.

Dabam Florentiae e meo Museo
Eidib. Martiis an. CIↃ.IↃ.CCLI.



AD LECTOREM BENEVOLVM
EDITORIS
PRAEFATIO



PERIS huiuſce, quod plurimis Numis rariſſimis numquam antea vel editis, vel probe expenſis, atque optima exquiſitae eruditionis fruge in Animadverſionibus refertum eſt, ut bono Litterariae Reipublicae in lucem iterum revocarem, occaſionem mihi iucundiſſimam praebuit Vir multis laudibus, et nominibus Celeberrimus, P. Franciſcus Antonius ZACHARIA e Soc. Ieſu, qui nuper dum ipſum rariſſimum exemplar, Viennae Auſtriae editum anno CIↃ. IↃ. CC. XXXVIII. atque in Philoſophico Vniverſitatis Congreſſu, dum Candidati laurea donarentur, his dumtaxat, qui aderant, diſtributum, in forulis ſuis tamquam gemmam reconditum, mihi oſtenderet; dolebat in pauciſſimorum hominum ma-

manibus esse, ac vel parum, vel minimum non solum Transmarinis, verum etiam Italis notum: neque novam lucem, elapsis iam tredecim annis, accepisse; nec passim a Numographis, ut solet, memoratum laudatumque vidisse. Ne diutius doleret, meam curam meosque sumtus obtuli, ac me quantocius in Symbolis meis editurum promisi. Statim ipse, quod sancitum fuerat, me rogante, scripsit Auctori Praeclarissimo P. FROELICH S. I. qui ea qua incoctus est humanitate, summa cum animi modestia et candore coniuncta, non solum adnuit coeptis, probavitque; verum etiam Tabulas aeri incisas cum Numorum XXXIX. imaginibus ad me misit; favente meis studiis Excellentissimo Domino BARONE DE PFÜTSCHNER, IMP. CAESARI ET REGINAE Augustissimae a Secretioribus Consiliis, et Curis; adiecitque suis locis inserenda Additamenta non pauca, Mantissam, singulares quoque et insignes aureos Numos. Hos quidem omnes luculentius illustrasset, ni diuturnis curis distentus adhuc esset in digerendis disponendisque accurato ordine ac serie immensis promemodum antiquis Numis omnis generis, quibus refertum est toto orbe commendatissimum CIMELIARCHIVM REGIO-CAESAREVM, una cum Ornatissimo Collega suo Domino Valentino DV-VAL Bi-


Bibliothecae Augustae, quae Florentiae servatur, Praefecto dignissimo. Adiecit etiam, pondere et notis probe expensis, Numismata XLVI. Siciliae et Italiae antiquissima; et alia XIII. pereximiae raritatis, quae in Regia-Caesarea Gaza adservantur, quae accurate descripsit et inlustravit: postremo AVGVSTALIVM NVMORVM AVREORVM Catalogum adtexuit, quos, praeter alios selectissimos et rarissimos, ostentat NVMOPHYLACIVM Nobilissimi Viri D. IOSEPHI DE FRANCE, qui bono Litterariae Reipublicae natus est. Ex hoc Catalogo perspicient periti quantum etiamnum adiungi Rei Numariae possit, et quam insignes opes in eodem Cimelio reconditae sint, in quod plura alia, eaque valde pretiosa, confluxere. En igitur, ERVDITE LECTOR, quoad potui, per me consultum delitescenti raritati huiusce Operis, quod se satis superque commendat, nec meis indiget laudibus.

In fronte Dedicatoriae Epistolae ad ornatum, exhibendum censui argenteum Numisma maximae magnitudinis, plane inaestimabile, et singulare, quod, dum Florentiae esset, mihi perhumaniter ostendit idem praelaudatus Vir Clarifs. DV-VAL; moxque in THESAVRO REGIO-CAESAREO perpetuo servandum consecratum est. De

eo

eo nonnulla inferius adnotantur pag. 123. Dum ostenderetur, et legitimum a peritis censeretur, fuit qui eius ectypum ex ipso archetypo sibi fecit: cuius exemplar nactus Nob. Eques Anglus Ioannes Bouverie, aeri incidendum curavit. Secutus suum ipsum autographum, quod perita manu delineatum idem DV-VAL ad me XII. Kal. Sept. An. MDCCXLIX. ut evulgarem, misit.

Symbolam suam, me rogante, in fine etiam dedit egregius eruditae Antiquitatis Interpres et Vindex, P. Eduardus CORSINIVS, in Pisano Lyceo Professor, qui observationibus suis Graecum Marmor Asiaticum in Froelichiano Opere adlatum pag. 116. perdocte elucidavit. Si haec probabis, LECTOR HVMANISSIME, eo facilius alias veteris Numariae Rei opes acccipere potero a Doctissimo Auctore P. FROELICH, cui ob haec, et alia eximia ingenii sui monimenta, quantum ei debeat Litterarius Orbis, perspicue liquet, ac Tibi luculenter exploratum est. Vale, hisque deliciis utere felix.



LECTORI SVO
AVCTOR

SElecta quaedam VRBIVM, *et* POPVLORVM NVMISMATA, *quae per otium in Cimelio R. P. C. Granellii S. I. mihi contemplari datum est, heic Tibi,* LECTOR BENEVOLE, *exhibeo. Servire haec poterunt Appendiculae loco ad eorum Numorum collectionem, quos ubivis terrarum signatos, et Augustorum, Caesarumve vultu, ac nomine carentes, viri Doctissimi Hubertus Goltzius, et R. P. Harduinus S. I. evulgarunt, atque eruditis animadversionibus illustrarunt. Numi nostri, aut in istorum libris non sunt; aut si sunt, est in ipsis aliquid repertum, quod novae lucis aliquantulum adferre ad Rem Antiquariam possit.*

II. In Animadversionibus meis quaedam esse non diffiteor, quae quum adsequi certa interpretatione non potuerim, coniectura pertentanda putaverim: ea ego Te, ERVDITE LECTOR, *non tam, ut credas, iubeo; quam, uti discutias, illustres, emendes, invito, ac rogo.*

Opellam hanc in duas Partes dividere libuit,

libuit, quarum Prior Numos in Europeis Vrbibus ſignatos, complectitur: altera in Aſia percuſſos exhibet. Quia vero Vir Cl. Gorius ſe curaturum ſcripſit, ut hic libellus novis typis recuderetur, pauca, multis curis licet diſtentus, ſecundis curis expendere, et addere libuit, quae ſuis locis adiungenda monui; hiſque ſubmovi, quae non probabam. Nunquam antea editas adieci etiam Ponderum Aſſium antiquorum cum Italiae, tum Siciliae recenſionem; et rariorum aliquot in fine Numiſmatum Mantiſſam cum aliquot adnotationibus, quae ſcripſi dum in ordinem redigerem Cimeliarchium Numarium AVGVSTISSIMAE AVLAE VINDOBONENSIS, *e quo Theſauro et multa alia iſthic adnotata Numiſmata ſelegi. His igitur utere, et vale* (1).

RE-

(1) Sed quoniam adeo devinctus ſum Viro longe Celeberrimo ac Doctiſſimo P. FROELICH, qui me hiſce Additionibus et lucubrationibus ſuis beavit, ut Eruditorum gratiam inirem: laborum meorum, qualeſcumque hi ſint, maximum praemium duco laudari a laudatiſſimo viro, totoque litterario Orbe famigeratiſſimo; idcirco non parcam modeſtiae meae, quin heic eius humaniſſimam Epiſtolam adponam, voti compos factus.

REVERENDISSIME AC ILLVSTRISSIME
DOMINE DOCTOR

Domine, ac Patrone plurimum Colende.

I*Ntellexi ex Epiſtola V. C. P. Zachariae noſtrae Societatis, velle Te*, VIR CELEBERRIME, *novis typis recudendum curare libellum illum meum, nempe* Animadverſiones in quoſdam Numos veteres Vrbium; *atque eum in finem a Te expeti imagines Numorum cupro inſculptorum. Equidem ſolatio mihi utique non exiguo fuit, tanto Viro*, TIBI *inquam, meas non diſplicere nugas; atque vel ideo eaſdem minus odi, vel propemodum amo. Itaque et gaudeo eſſe mihi tituli aliquid, quo* TE, *Vir Celeberrime, per literas ſaltem alloqui, ac revereri liceat: et quia illud optimum factu putavi, ipſas cupreas Tabellas ad Te ut ſtatim tranſmitterem, detuli eas ad Excellentiſſimum Dominum* BARONEM DE PFÜTSCHNER, *qui* TE *pro ſummis meritis tuis, una cum omnibus Eruditionis amatoribus, maximi facit. Idem gratioſe recepit ſe curaturum, uti eadem ad* TE *recte perferantur, nullo, uti ſpero, tuo vel ſumptu, vel incommodo.*

Si

Si itdque recudendus foret ille liber, cuperem omitti omnia non neceßaria, quae in priore editione poni debuerunt: nempe hic titulus Libro esto: Animadversiones in quosdam Numos veteres Vrbium: Editio altera auctior: *omissa deinde dedicatione, illico ad Lectorem Praefatiuncula ponatur, adnotatis accessionibus factis, quas nunc Tibi indico. Vtinam otii mihi aliquid esset, ut limare augereque multo magis has lucubrationes possem! sed vix hisce scribendis hora suppetit. Hisce adiungi poterunt, quae separata Charta adscripsi Numismata* ITALIAE *et* SICILIAE. *Vale* Vir Reverendissime, ac Doctissime, *meique apud Deum memor, sinito me Amicorum tuorum minimis accenseri*

Viennae Austr. Prid. Kal. Sept. MDCCXLIX.

Indignum Christi Servum

ERASMVM FROELICH S. I.

INDEX
NVMORVM
IN EVROPA PERCVSSORVM
QVI IN PARTE I. INLVSTRANTVR

TABVLA I.

TABVLA II.

TA-

TABVLA III.

INDEX NVMORVM
IN ASIA PERCVSSORVM
QVI IN PARTE II. INLVSTRANTVR

TABVLA III.

TABVLA IV.

AT-

TABVLA V.



II.





NVMI-



NVMI IN EVROPA PERCVSSI

PARS PRIOR



NVMI CORCYRAE NIGRAE

TABVLA I.



UMI omnes ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ, vel ΚΟΡΚΥΡ, vel ΚΟΡ inſcripti (niſi ſi qui iſtorum ad Corinthios pertinerent) ab Antiquariis hactenus ad Corcyram, celeberrimam illam in Ionio mari inſulam, *Corfù* hodie dictam, relati ſunt. Ego vero, quos heic ſubiiciam, tres parvi moduli ex aere numos, elegantes ſane, atque integros, ΚΟΡ inſcriptos, alteri Corcyrae inſulae, et urbi, quam ob rem tribuendos eſſe exiſtimem, poſt continuo, quam numos deſcripſero, pluribus exponam; illamque inſulam, cuius antiqua memoria haud ita vulgo

celebris est , paullo prolixius praedicabo . Numi nostri ita habent.

KOP. Κορκυραίων . *Corcyraeorum* . Satyrus nudus diotam , seu amphoram in aliud vas maius pone statutum effundit : a tergo Satyri pisciculus .

Nulla inscriptio . Bacchus nudus , tigride , vel pantherisco vectus . Vide iconem Tab. I. num. I. Sequitur alter numus .

KOP. *Corcyraeorum*. Victoria stans , expansis manibus , et alis .

Aquila , aut alia avis maior stans , rostro sertum gerens ; ex pampinis , botrisque contextum . Tab. I. num. I.

Tertius numus nihil fere ab altero hoc differt , nisi quod avis , serti loco , botrum unicum rostro tenet . Tab. I. num. II.

Hos numos non illi Corcyrae , quae Ionio mari circumfunditur , et olim Phaeacum Insula , Scheria etc. atque Graecis Scriptoribus fere Κέρκυρα , in numis tamen Κόρκυρα compellata legitur , adscribendos censeo ; sed alteri Corcyrae vindicandos puto , quae a Veteribus Κόρκυρα ἡ Μέλαινα , *Corcyra Nigra* dicta est , propter umbrosas , quibus abundat , nigricatque , silvas : ab nostri temporis Graeculis *Zachalia* ; ab Italis *Curzola* , vel *Curzula* , vel etiam *Corzola* nominatur . Sita ea est inter insulas Melitam , et Lesinam ,

quae

quae olim Pharos, vel Pharia: ab Dalmatico littore, ubi olim Onaeum oppidum, hodie *Sabioncello* constitutum est, exiguo Adriatici maris intervallo dirimitur.

Ad hanc porro Adriatici maris Insulam, prae altera illa celebriore Corcyra hosce numos pertinere, ex eo suspicari coepi, quod numi isti essent in Dalmatiae regione, huic insulae vicina, reperti, atque inde ad nos perlati. Ea suspicio in certam prope sententiam corroborata est; posteaquam omnia, in primo illo, e tribus, quos proposui, numis consignata, deprehendi egregie plane, ac proprie Adriaticae huic Corcyrae convenire. Primo porro numo huic insulae, atque urbi adserto, nihil iam de aliis duobus dubitabam; quod eodem ex loco adlati, et fabrica omnino persimili cusi essent, ac diversa ab ea, quam prae se ferunt alterius maioris Corcyrae numi.

Primo igitur in numo trium praecipue rerum consignata symbola contuemur; Bacchi figuram, tigride, ut solet, vel pantherisco vecti; Satyri simul (quod genus, Bacchi comites esse, nemo ignorat) qui fronte cornuta, cetera nihil ab homine difformis, ex amphora in vas aliud vinum effundere videtur. Quae ambo, uti et in aliis duobus numis, pampini, et uvae, ube-

rem vini in hac insula proventum significant. Alterum est pisciculi imago, hic certe non temere signata; sed pisciculorum divitem capturam, ab insulae huius incolis exerceri solitam, aperte indicans.

Iam vero, vini proventum quod concernit, eius testem habemus *Palladium Fuscum, de situ, et ora Illyrici Lib. 1I.* Qui ita de Corcyra nostra: *A Pharo decem millibus passuum abest Corcyra Nigra, cum urbe cognomine: haec autem aetas utramque Curzulam vocitat; sed insula ambitu sexcentorum stadiorum, pinnastris redimita, et aquis abundans, fert frumenta, vinaque, et alia usui necessaria.* Alterum una confirmat *Sponius in Itinerario*, adnotans: Venetos Curzolam: quos nunc Dominos haec insula agnoscit, emolumenti plurimum, quod percipiunt, vini proventui, et pisciculorum capturae debere. Pisciculi isti, qui miri saporis sunt, notissimo nomine *Sardellae* appellantur; ab aliis etiam Sardinae, Sardenae, Ligulae, Chalcides, Trichiae, vel Sardae, etsi hoc minus recte, dicuntur.

Sponii narrationem Collega quidam meus, epistola ad me Flumine S. Viti anno superiore data, omnino confirmavit, quem ego hac super re, ille Liburnos, qui eam Insulam pernossent, consuluit. Neque porro du-

dubium eſt, quae noſtra aetate huic inſulae e terra, marique proveniunt (quando utriuſque ingenium eodem in loco vix, ac ne vix quidem unquam mutari ſolet) olim quoque proveniſſe.

Comprobantur haec egregie tertio numi ſymbolo, vaſorum, varia figura inſculptorum, imagine, ſingulari arte, ſtudioque in numo expreſſa. Nam fictilia variae formae vaſa hodieque plurima in Corcyra noſtra confici, ac diverſas in oras venum divehi, quem paullo ſuperius laudavi, Collega meus me per literas edocuit. Eandem autem, vaſa varia e terra figendi artem exercuiſſe, atque iiſdem mercibus inclaruiſſe veteres Corcyrae Nigrae incolas, egregie conteſtatur *Ariſtoteles*, aut quiſquis eſt auctor libelli: Περὶ θαυμασίων ἀκȣσμάτων, in quo ita lego: *Λέγεται δὲ μέταξυ τῆς Μεντορικῆς, καὶ τῆς Ιςριανῆς ὄρος τὶ ἐ͂ιναι τὸ καλȣ́μενον Δέλφιον, ἐ͂χον λόφον ὑψηλόν. Επὶ τȣ͂τον τον λόφον ὅταν ἀναβαίνωσιν οἱ Μέντορες, οἱ τȣ͂ Αδρίȣ οἰκȣ͂ντες, θεωρȣ͂σι τὰ ἐις τὸν πόντον ἐσπλέοντα πλοῖα. Ειναι δέ τινα καὶ τόπον ἐν τοῖς ἀνὰ μέσον διαστήμασιν ἐις ὃν ἀγορᾶς κοινῆς γενομενής, πωλεῖσθαι παρά μεν τῶν ἐκ τȣ͂ ποντȣ ἐμπόρων ἀναβαινόντων τὰ Λέσϐια καὶ χῖα, ϗ Θάσια, παρὰ δὲ τῶν ἐκ τȣ͂ Αδρίȣ τȣ̀ς Κερκυραικȣ̀ς ἀμφορεῖς*. Locus longiuſculus, ut ſententia ſibi conſtaret, adferendus erat,

quem ita Latine reddo : *Mentoricam inter et Iſtrianam regionem mons eſse fertur, Delphius dictus, elato vertice conſpicuus. Hunc verticem conſcendentes Mentores, qui ad ſinum Adriaticum habitant, ſpeculantur navigia, in pontum venientia. Fertur quoque locus eſſe, aequo utrimque intervallo diſtans, in quo, nundinis publice conſtitutis, venduntur a mercatoribus e Ponto venientibus, vina Lesbia, Chia, et Thaſia; ab aliis mercatoribus Adriatici ſinus, Corcyrenſes amphorae.* Heic ſane cum *Adriatici* mercatores Corcyrenſes amphoras venum adferre dicantur, nulla ratione Corcyram, Ionico mari cinctam, intelligere licet. Quod vero non Κορκυραικὰς, ſed Κηρκυραικὰς ſcriptum habeatur, dixerimque ſuperius Corcyram Phaeaciam plerumque Κέρκυρα, alteram Κόρκυρα ſcriptam offendi, nihil heic obeſt; quando et noſtra Corcyra, etſi rarius, Κέρκυρα, exprimitur. Dionyſiii Periegetis Commentator *Euſtathius ad verſ.* 494. Ita praeclare de utraque Corcyra: Δύο δὲ Κέρκυραι εἰσὶν, ἥ τε Φαιακὶς, πρὸς τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ —— ἑτέρα δὲ Κέρκυρα ἐντὸς τοῦ Ἰονίου, διὰ τοῦ ο μάλιστα λεγομένη Κόρκυρα, ἡ καὶ Μέλαινα καλουμένη. *Duae autem Corcyrae ſunt, Phoeacia altera in ſinu Ionio: altera Corcyra intra Ionium* (nempe in Adriatico ſinu) *per o parvum plerumque appellata Corcyra, etiam Nigra cognominata.*

Va-

Vaſa haec Corcyrenſia *Plinius* quoque, etſi magis generico uſus nomine, Corcyrae noſtrae adiudicare videtur *Lib. xxxv.* ubi de vaſis fictilibus agens, et meliora enumerans, Adriatica vaſa commendat his verbis : *Adrianis firmitas*.

Neque illud mihi heic aliquis obiiciat, non videri, exiguam, et haud ita clari nominis inſulam, ac urbem monetae cudendae aut habuiſſe exercitium, aut ius a Romanis obtinuiſſe. Sunt enim veterum Scriptorum teſtimonia complura in promptu, quae vetuſtatis memoriam, claritatemque nominis huic noſtrae Corcyrae adſerant; quippe cuius et Hiſtorici quidam, et Geographiae Scriptores veteres, praecipui nominis, omnes meminerint.

Bellum Illyricum, quod anno V. C. 524. coeptum, et anno altero cum Teuta, Illyrici Regina, geſtum, atque confectum eſt a Romanis, *Polybius Lib. iI.* deſcribens, frequenter Corcyrae meminit: eandem a Teuta primum occupatam, ſubinde a Romanis receptam eſſe: mox Iſſios quoque, et Pharum in Romanorum poteſtatem veniſſe, dedente ſeſe Demetrio Phario. Similia de Corcyra memorat *Appianus de Bell. Illyr. Romani Corcyram, Pharum, Eſſios* (Iſſios) *atque Epidamnum acquiſivere — Corcyram, et Apol-*

loniam libertate donavere. Quibus vero libertas data est, monetae quoque flandae, ac feriundae potestatem confirmatam, aut indultam esse, non est incongruum. Victoriae typus in duobus numis nostris pervetustis, hanc Romanorum victoriam, quae Corcyrae huic libertatem peperit, indicare potest.

Corcyram vero, de qua dictis locis Polybius, et Appianus agunt, Nigram intelligi oportere (etsi alibi nonnunquam dubie loquantur, atque etiam de altera Corcyra, dum de itinere, et appulsu Classium agitur, accipi possit pars narrationis) ex eo manifestum fit, quod uterque Scriptor Corcyram cum Issiis, et Pharo eadem narrationis serie coniungat. Fuisse vero Corcyram nostram Issiis, et Pharo proximam, Geographiae antiquae Principes omnes contestantur. *Strabo Lib.* II. de Adriatico sinu: Ετι δ᾽ Ισσα, καὶ Τραγύριον, καὶ ἡ Μέλαινα Κόρκυρα, καὶ Φάρος. *Praeterea Issa, et Tragurium, et Nigra Corcyra, et Pharus*. Idem paullo aliter profert *Ptolemaeus Lib.* II. *ad finem*: Τῇ δὲ Δαλματίᾳ νῆσοι παράκεινται Ισσα καὶ πόλις. Τραγύριον καὶ πόλις. Φαρία καὶ πόλις. Κόρκυρα ἡ Μέλαινα. *Dalmatiae vicinae iacent insulae: Issa, etiam urbs, Corcyra Nigra*. Easdem omnino insulas, nisi quod loco Tragurii

Me-

Melitam inferat, consociat *Agathemerus Hypotyp. Geogr. Lib. I. Cap.* 5.

Non sunt praetereunda silentio *Plinii* verba *Lib. III.* Cap. 26. quibus eadem confirmans, aliud quoque de origine Corcyrensium nos docet: *Issa Civium Romanorum, et cum oppido Pharia: Corcyra, melaena cognominata, cum Gnidiorum oppido distat* XXV. M. *passuum, inter quam, et Illyricum Melita*. Gnidios, seu Cnidios Coloniam in Corcyram deduxisse, *Scymnus* etiam, et *Strabo Lib. VII.* confirmant, qui posterior Corcyram Nigram Κνιδίων κτίσμα, *Gnidiorum Coloniam* appellat.

Eà res heic rursum aliquid offert, quod cum numis Corcyrae Nigrae, quos protulimus, non illepide congruere videatur; quando Gnidiis eadem e terra marique, quae in aere suo Corcyrenses Coloni ostentabant, emolumenta provenisse, apud veteres Scriptores reperio, aut in ipsis numis conspicio. Pisciculorum capturam celebrem ad Gnidum fuisse, discimus ex *Aristotele Lib. VI. Histor. Animal. Cap.* 15. Eubulus apud *Athenaeum Dipnosoph. Lib. I.* commendat inter cetera Κνίδεια κεράμια, *Vasa figlina Gnidiorum*. Denique Bacchum, et botros in monetis suis consignarunt Gnidii, uti apud Vaillantium, et Harduinum videre est. Propria igitur, et

Me-

Metropoleos quoque ſuae fertilitatis, et emolumentorum ſymbola in aere ſuo Corcyrenſes exprimebant, qui Graecae item linguae uſum a Gnidiis accepiſſe videntur. Gnidus enim, quanquam Cariae urbs eſſet, Graecis tamen a civibus, ut aliae permultae Aſiae urbes, incolebatur: etiam a *Scylace* πόλις Ελληνις, *urbs Graecanica* compellata.

Romanorum quoque monumenta vetera in hac noſtra Corcyra non deſiderari, fidem facit *Ioannes Lucius*, qui inter *Inſcriptiones Dalmaticas*, unam ex Aldo refert, quae in Scopulo Corcyrae Nigrae prope Franciſcanos reperta eſt, et ita habet:

D. M. S.
VRSINVS. ET.
EVTYCHIA. PARENTES.
INFELICES. VRSINO.
FILIO. PIENTISSIMO.
POS.
ANN. XXV.

Expoſitis iis, quae ad Corcyram hanc noſtram, numorum ope illuſtrandam, faciunt; illud etiam probabili e dictis ſequela deduci poſſe videtur: numos illos, qui ſingulari ſymbolo diverſas vaſorum figuras in eadem facie exhibent, cum epigraphe

KOP-

ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ, aut ΚΟΡ. Nigrae potius, quam Phaeaciae Corcyrae adſcribendos eſſe: ubi praeſertim fabricae ratio numis noſtris ſimilior deprehenderetur. *Goltzius* et *Begerus* numum unum, alterumve ſimili cum typo ſiſtunt: atque unum quidem, in cuius facie eadem, tria adeo variae formae vaſa exhibentur, cum epigraphe ΚΟΡΚΥΡΑΙ, alterum, praeter amphoram, botro decoratum, cuius inſcriptio ΚΟΡ.

De origine nominis Κόρκυρα, vel Κέρκυρα, cum certi nihil habeamus, vix operae pretium me facturum putabam, ſi aliquid adnotarem. *Pauſanias Lib. II. Cap.* 5. adſtipulante *Stephano*, a Corcyra, Aſopi filia, originem petunt: alii a voce Κέρκυρος, quae brevioris navigii genus ſignificat, quo harum inſularum incolae praecipue uſi fuerint.

Numus Corcyrae Nigrae, qualem primo loco propoſui, etiam habetur in Cimelio celeberrimi Monaſterii Gotvicienſis, quod Reverendiſſimus, et Eruditiſſimus Dominus eiuſdem Monaſterii Abbas GODEFRIDVS, cum aliis pretioſiſſimis Rei Literariae opibus, ad totius Auſtriae noſtrae ornamentum, collegerat.

„ Similis Numus in Gaza Caeſarea Vin-
„ dobonenſi ſervatur, atque in his certe le-

„ gitur

„ gitur KOP. Attamen ſimilis fere numulus
„ exſtat in Cimeliarchio Saxo-Gothano, in
„ quo diſtinćte legitur KOΛ, loco KOP, uti
„ per Epiſtolam me edocuit eius Cuſtos di-
„ gniſſimus Celeberr. D. Schlaeger, qui eun-
„ dem numulum *Colophoniis* tribuendum
„ cenſet: quod iidem, teſte Athenaeo Lib.
„ XII. pag. 526. vinolentiae dediti eſſent;
„ et τὸ Κολοφὼν, Heſychio teſte, piſcem
„ quemdam marinum ſignificarit. Nihil ſa-
„ ne oſtat, quin diverſae Vrbes ſimilibus
„ figuris, ac typis ob ſimiles cauſas ute-
„ rentur.

NVMI CAVLONIAE.

TABVLA I.

QVarum rerum uberiore proventu felices eſſent populi, earum ſigna ſuis monetis intuliſſe, in Corcyrae Nigrae numis vidimus. Similibus quoque ſymbolis numos ſuos ornaſſe Cauloniatas, in praeſenti diſpiciemus. Cauloniae Italicae originem, fata, ſoli ubertatem, atque etiam alia in huius urbis numis expreſſa, propterea pluribus exſequi conſtitueram; quod, qui hac de re ſcripſerunt, alii non ſatis recte quaedam, alii non ſatis: quidam ingenioſa, et

ar-

arguta potius, quam vera, aliqua adnotaverint.

Duos Cauloniatarum numos, ab aliis nondum prolatos, qui ſingularia quaedam prae ſe ferunt, exhibebo; illorum quoque numiſmatum, quae ante me alii produxerunt, ut res tota melius illuſtretur, mentionem faciendam duxi. Atque ut ſuo omnia ordine procedant, primum de Cauloniae nominibus, origine, ſitu, caſibus agam: deinde ea, quae ad numorum expoſitionem pertinent, ita pertractabo; ut poſteaquam, quae fuerit aliorum ſententia, expoſuero, quae meae ſint opiniones, in medium proferam.

Vrbs haec, quam ornandam ſuſcipimus, *Caulon*, et *Aulon*, item *Caulonia*, et *Aulonia*, apud veteres Auctores ſcripta reperitur. Caulon adpellatur a *Virgilio Lib.* III. *Aeneid. verſ.* 553.

Hinc ſinus Herculei (ſi vera eſt fama) Tarenti,
Cernitur. attollit ſe Diva Lacinia contra,
Cauloniſque arces. ——————

Eodem nomine uſi ſunt *Plinius Lib.* III. et *Ovidius Metam. Lib. XV. verſ.* 705. ubi canit:

—————— *Caulonaque, Naryciamque.*

Au-

Aulon vero dicta est haec urbs ab *Horatii Lib. II. Carm. Ode 6.*

——————— amicus Aulon
Fertili Baccho nimium Falernis
Invidet uvis .

Martiali quoque *Lib. XIII. Epigr.* 125. appellatur : *Felix vitibus Aulon .* Auloniae una et Cauloniae nomen commemorat *Strabo Lib. VI.* et originem adtingit : Μετὰ δὲ τὴν Σάγραν , Ἀχαιῶν κτίσμα Καυλωνία , πρότερον δὲ Αὐλωνία λεγομένη διὰ τὸν προκείμενον αὐλῶνα , ἔστι δὲ ἔρημος . *Post Sagram est Caulonia, Achaeorum colonia , antea Aulonia dicta , propter adsitam vallem* (αὐλῶνα) *nunc deserta .*

Vtriusque huius nominis meminit quoque *Stephanus* , et pro Aulonia , vitiose dictum putat Caulonia , ut Epitaurus , pro Epidaurus : addit gentile nomen , quale numi comprobant , Καυλωνιάτης . Cauloniae nomen a plerisque Scriptoribus veteribus usurpatur , a Diodoro Siculo , Pomponio Mela , Pausania etc.

Nominis originem , et urbis ipsius , aliam quam Strabo prodiderat , adfert *Servius in Virgilii locum supra laudatum :* cuius haec sunt verba : *Caulon mons est Calabriae : in quo oppidum fuit , a Locris conditum . —— Alii a Caulo , Clitae Amazonis filio , conditum tradunt .*

dunt. Rursum vero idem *Strabo Libro citato*, a Siculis, qui antea urbem Cauloniam in Sicilia habitabant, alteram hanc Cauloniam in Italia conditam, seu potius Auloniam instauratam esse testatur; postquam ipsi nempe a Barbaris suis sedibus exacti fuissent. Alterius in Sicilia Cauloniae Stephanus quoque memoriam conservavit.

Ad conciliandas has, quibus in diversa abeunt, de Cauloniae Conditoribus veterum Scriptorum sententias, Diodorus, Pausanias, et Livius facem praeferunt; e quibus colligo, ter Cauloniam Italicam conditam, ter eversam fuisse, usque ad primum Augustorum saeculum, ad cuius medium vixit Strabo.

Condita primum est ab Achaeis Aulonia, vel Aulon, et quidem duce Typhone Aegiensi, uti cum Strabone Pausanias perhibet; atque adeo illam de Caulo, Amazonis filio, sententiam, quam e vulgi rumusculis dubius ipse Servius refert, ad fabulas ablegandam censeo. *Pausanias* his rem complexus est verbis, *Lib. VI.* Καυλωνία δὲ ἀπῳκίσθη μὲν ἐις Ιταλίαν ὑπὸ Αχαιῶν. ὀικιστὴς δὲ ἐγένετο ἀυτῆς Τύφων Αιγιεύς. *Caulonia* (tum Aulonia) *est ab Achaeis in Italiam deducta Colonia. Conditor eius fuit Typho Aegiensis*.

Primum eversa est a Dionysio Seniore, Sy-

Syracusarum Rege, circa annum V. C. 366. De quo Auloniae casu, eius incolis Syracusas abductis, ita *Diodorus Sic. Biblioth. Histor. Lib. XIV.* scriptum reliquit: Τὴν δὲ πόλιν καταστρέψας τοῖς Λοκροῖς τὴν χώραν Καυλωνιατῶν ἐδωρήσατο. *Vrbe eversa*, Dionysius, *regionem Cauloniatarum Locrensibus dono dedit*.

Interea temporis Cauloniae Siculae cives a Barbaris, uti *Strabo Lib. VI.* refert, suis sedibus expulsi, in Italiam ad Locrenses confugere; qui Auloniae eversae agrum ipsis colendum concesserunt, atque ad condendam novam Cauloniam Auctores, Adiutoresque fuerunt. Inde factum existimo, ut Strabo Siculos Cauloniatas, Servius vero Locrenses, restitutae Cauloniae Conditores, recte aliquo modo uterque, compellaret. Ob hanc quoque Locrensium in Siculos Cauloniatas benevolentiam, auxiliumque, videtur aliam adhuc Cauloniam *Stephanus* in Locrensi agro constituisse: Ἔστι καὶ ἄλλη Λοκρῶν.

Subinde, Pyrrho Epirota Italiam bellis miscente, alteram ruinam Caulonia subiit circa annum V. C. 477. Factum id esse a Campanis, Romanorum in eo bello sociis, narrat *Pausanias Lib. VI.* Πύῤῥου δὲ τοῦ Αἰακίδου, καὶ Ταραντινῶν ἐς τὸν πρὸς Ῥωμαίους πόλεμον καταστάντων, ἄλλαι τε τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐγένοντο

αἱ

αἱ μὲν ὑπὸ Ρωμαίων, αἵ τε ὑπὸ τῶν Ηπειρωτῶν ἀνάστατοι. Κατέλαβε δὲ ἐς ἅπαν ἐρημωθῆναι καὶ τὴν Καυλονίαν, ἁλοῦσαν ὑπὸ Καμπανῶν οἱ Ρωμαίων μεγίστη τοῦ συμμαχικοῦ μοῖρα ἦσαν. *Pyrrho autem Aeacide, atque Tarentinis adversum Romanos belligerantibus, aliae Italiae urbes ab Romanis, ab Epirotis aliae eversae sunt. Accidit autem, ut Caulonia omnino deserta facta fuerit, capta a Campanis, qui pars maxima erant sociorum Populi Romani.*

A quibus tertium erecta fuerit Caulonia, certi nihil habeo, quod proferam; suspicor a Crotoniatis id factum esse. Nam *Solinus Cap. VIII.* a Crotoniensibus Cauloniam conditam memorat; quos ad haec tempora referre, quum Conditores aliorum temporum alios iam teneamus, non importunum fore arbitrabar. Instauratam tamen tertium fuisse Cauloniam, ex *Livii Lib. XXVII. Cap.* 14. constat. Narrat is, Cauloniatas bello Punico secundo ab Hannibalis partibus stetisse, et urbem eorum a Valerio Laevino, iussu Q. Fabii Maximi oppugnatam; ast ab Hannibale obsidionem solutam fuisse. Romani perfidam urbem sub finem belli huius Punici diruisse videntur; quum constet, Strabonis tempore desertam fuisse; quod et *Plinius Lib. III. Cap.* 10. perhibet: nec alia bellorum occasio adsignari fortasse possit, qua deinde Caulonia ruinam subierit.

Quonam tempore, post Plinii aevum, rursum locus iste habitatores nancisci coeperit, porro inquirere nostri non est instituti. Nunc est exiguum oppidum, vulgo *Castel vecchio* dictum, quod a *Gabriele Barrio Lib. III. de antiquit. et situ Calabriae*, ita describitur post Crotonem: *Inde est Castrovetum oppidum, edito, salubrique loco situm inter Alarum, et Musam amnes, torrentinis, et anguillis fecundos; undique rupibus septum etc. Aulon quidem vallem, planitiemque, ac florida loca significat: Caulonia vero iactantiam, quod ob loci salubritatem, rerumque opulentiam praecellat*. De Cauloniae nominibus, origine, situ, et casibus, ad illustrandos facilius numos veteres, haec tantum.

Cauloniatarum numos, quos haud ita magno numero detexerunt Antiquitatis studiosi, omnes ante ruinam, quam exeunte bello Punico secundo subiit Caulonia, cusos esse, ex eo liquet, quod longissimo deinceps tempore desertus ille locus iacuerit, et numi magnam vetustatem prae se ferant. Neque tamen horum, quos tenemus, aliquos ante primum huius urbis exscidium percussos esse puto; quod et fabrica sit perelegans, et omnes ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΝ, non ΑΥΛΩΝΙΑΤΑΝ, inscripti reperiantur.

Qua-

Quatuor Cauloniatarum numos *in Magna Graecia Goltzius* protulit, qui ita habent:

Jupiter nudus ſtans, ſiniſtra extenſa, ex qua taenia pendet: dextra fulmen gerit; ex parte monogramma, quod vide Tab. I. num. III. legendum coniicio Τύφων, qui fuit primus, uti diximus, Cauloniae Conditor.

ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΝ. *Cauloniatarum*. Cervus ſtans. Hunc numum etiam Begerus exhibuit. Sequitur alter.

ΚΑΥ. Iupiter ſine taenia, ex parte cervulus.

ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΝ. Cervus, vas, et litera Φ. Fortaſſe loco ϙ lectum eſt Φ. Nam prior ille character, vetus Koph, Κροτωνιατῶν ſignum etiam in veteribus numis erat. De Crotoniatis Conditoribus dictum eſt. Sequitur tertius.

ΚΑΥ. Iupiter ſolita figura.

ΚΑΥΛΥΝΙΑΤΑΝ. Cervus, et ramus, cum monogrammare, quod vide Tab. I. num. IV. Ramus lauri eſſe videtur. Sequitur quartus Goltzii.

ΛΥΑΚ. pro ΚΑΥΛ inverſo ſitu. Jupiter.

ΛΥΑΚ. Cervus, et ramus, qui oleae ſimillimus. Vide Tab. I. num. V. Doctiſſimus *Begerus in Theſauro Brandeburgico* alium adiicit, en illum!

 Jupi-

Jupiter ſtans, dextra fulmen torquet, ſuper ſiniſtra extenſa maſculus nudus ſtat, expanſis manibus; ea figura Begerus putat Diconem Cauloniaten, celebrem athletam, aut cervorum venatorem indicari: mihi poſterius placet.

Cervus ſtans.

Sola epigraphe ab aliis diverſum, e Cimelio Galliarum Regis, *R. P. Harduinus*, produxit numum ſequentem:

ΚΑΥΛ. Iovis Tonantis, ac cervi effigies.

ΛΥΑΚ. inverſe pro ΚΑΥΛ. Cervus.

Noſtri duo numi ita habent, quorum typos vide Tab. I. num. VI. et VII.

Iupiter nuduns ſtans d. fulmen, s. extenſa, ſub qua cervulus, et aratrum: ad dextram apis collectis alis:

ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΝ. *Cauloniatarum*. Cervus bene latis cornibus, quibus annoſi cervi ſuperbire ſolent: unicum tantum cornu adparet; in area ramus frugifer. Eſt argenteus, elegantiſſimus. Sequitur alter.

Iupiter ſolita figura: in area rude cornucopiae, et piſcis.

ΚΑΥΛΩ —— Ν. Cerva ſtans. Argenteus, medii moduli, uti et praecedens.

„ Mirabile aliud numiſma argenteum
„ *Cauloniatarum*, latum, et incuſum, ad-
„ ceſſit interea Cimeliis Collegii Vindobo-
„ nenſis S. I. in quo Iupiter nudus ſolita

figura

figura comparet cum epigraphe retrogra-
„ da ΛVAK, hoc eſt KAVA. quae numiſma
„ pervetuſtum arguit.

Numorum iſtorum perpetuum, ac velut proprium Iovis Tonantis, ac Cervi eſſe ſymbolum videmus. *Barrius* loco laudato, minus recte, in numis fortaſſe multum attritis, figuram illam nudam ſtantem agnoviſſe videtur; nam fulminis loco eidem palmae ramum tribuit, et Creſum (ita legit) neſcio quem, referri exiſtimat, qui, quum cervum fugaret, in fluvium prolapſus ſit. Hiſtoriam ſimilem apud *Pauſaniam Lib. VIII.* forte legerat Barrius,. aſt illic de Arcadia ſermo, nullumque illi venatori nomen datur: niſi forte ob iaculandi peritiam, qua Cretenſes, teſte *Aeliano Hiſtor. var. Lib. I.* excellebant, Cres, vel Creſſus fuerit a Barrio appellatus. Sane Iupiter Tonans, in omnibus, quos retuli, Cauloniatarum numis exhibitus, facile Barrium cum incerta ſua hiſtoria refellit.

R. P. Harduinus Iovem Tonantem, cum cervo illo loco *Pſalmi XXVIII. v. 9.* ingenioſe illuſtrat: *Vox Domini praeparantis cervos*: quod de tonitrui fragore accipiendum monent Interpretes, quo cervarum partus promoveatur. Magis id adnotare poterat, ſi cervam, quam in ſolo noſtro numo intuemur, conſignatam offendiſſet.

Exiſtimo tamen Cauloniatas, quod nunc inquiro, tam ingenioſos vix fuiſſe, ut huc reſpicerent.

Doctiſſimus Begerus, cum Achaeorum coloni fuerint Cauloniatae, et id e Strabone conſtet, apud Achaeos celebre Iovis Templum, frequentes item cervos fuiſſe, erudite coniicit, haec eſſe vetuſta Achaeorum ſigna a Cauloniatis in Conditorum memoriam aſſumpta. Non eo inficias, ad Conditorum quoque ſymbola adluſiſſe his figuris Cauloniatas; vix tamen, quod domi ſuppetit, foris eſſe quaerendum mihi perſuadeo..

Itaque Iovis figura indicari credo (quod poſt Goltzium, etiam obiter monuit Begerus) cultum Iovis Ομορίε, quaſi dicas: *Confinis*, ſeu *Finium Tutatoris*. *Homorii* enim Iovis celebre Templum a Cauloniatis, foederatiſque populis conſtructum eſſe, *Polybius Lib. II.* perhibet: verba etiam Barrius alia occaſione (etſi in editione Graevianae Collectionis male *Ariſtotelis Lib. II. Pol.* loco *Polybii* adducatur auctoritas) ita protulit: *Siquidem Crotoniatae, Sibaritae, Cauloniatae, compoſitis inter ſe unanimiter rebus, primo Omenii* (legendum *Homorii*) *Iovis Templum publice conſtituerunt, ubi et conciones fieri, et cum populo agi poßet.*

Cervorum figuras ad cervorum frequentiam,

tiam , quibus abundat Cauloniae ager , omnino refero. *Barrius* libro laudato: *Fiunt venationes uberes aprorum*, *cervorvm*, *et aliorum ſilveſtrium animalium*. Certe alias quoque fertilis terrae divitias in argento ſignavere Cauloniatae. In numo noſtro apis mellis praeſtantiam, copiamque indicat: aratrum agriculturae opes: vas in Goltziano numo vini ubertatem, et una vaſorum, quae illic fingerentur, bonitatem iactat: oleae ramus, olei proventum prodit. Quae omnia, praeter Poëtas, initio productos, *Barrius* rurſum ita confirmat, regionis huius apprime gnarus: *Fiunt Cauloniae vina*, *bonitatae mirifica*, *item olea*, *et mella clara*, *et caſeus*, *et hippàces laudatiſſimi*, *et figlina opera non vulgaria*. Piſcium quoque exquiſiti ſaporis copia, quos duos amnes Alarus, et Muſa ſufficiunt, piſcis effigie in numo noſtro commendari videtur: qua de re ſuperius e Barrio iniecta eſt mentio; qui idem ſoli ſalubritatem, ac fertilitatem in univerſum commendat, quae in numo noſtro cornu copiae exprimitur, et ab *Horatio* quoque comprobatur, dum *beatam* praedicat Cauloniam, *Ode citata*:

Ille Te mecum locus, *et beatae*
Poſtulant arces.

Antequam de planta in noſtro numo elegantiſſimo expreſſa, aliquid proferam, Goltzii opinionem heic praeterire ſilentio non poſſum, qui ramuſculos in numis ſuis expreſſos, propterea, quod cervo adſignatos videret, illico dictamni nomine compellavit. Erudiſſimus *Spanhemius de uſu, et praeſtantia vet. Num. Tom. I. Diſsert. VI. §. 8.* de Goltzii lapſu dubitat, et lauri ramos dicere mavult. Atque ego quoque alterum horum ramuſculorum, in numo III. lauri eſſe exiſtimo, tum ex figura ipſa, tum ex adiecto monogramate ΑΠ. quo Apollinem honoris ergo deſignaſſe videntur, cui laurus ſacra: vel quod multa laurus apud Cauloniam creſceret, quam Apollini gratam credebant.

Illa vero de dictamno opinio mihi plane nullo modo ſuſtineri poſſe videtur. Nam primum, uti docet *Theophraſtus Lib. IX. Hiſt. Plant. Cap. 16.* τὸ δὲ Δίκταμνον ἴδιον τῆς Κρήτης. *Cretae proprium eſt dictamnum*. Atque illic quoque, ſi Plinio fides, *non ſpatioſe* ſubnaſcitur. Alienam vero herbam cur ſignarent Cauloniatae? Deinde forma ipſa ramuſculorum in Goltzianis numis, nihil ſane, aut omnino modicum, ad dictamni ſpeciem adcedit; quae herba, ſi eam, quae a pleriſque recepta eſt, ſententiam ſequar, et formam contempler,

quae

quae apud Rovillium, Mathiolum, Tabernaemontanum, et alios expressa habetur, est foliolis prope orbiculatis, ea fere forma, et ordine, quo numularia: singulisque caudicibus e terra enascitur, et oblongos in apice strobilos profert. Si vero ex Arabum Auctorum mente, de quibus *Gesnerus in Cervo*, Pulegium cervinum, verum dictamnum, aut simillimum certe dictamno esse dicam: cuius formam melius, atquae alteram modo relatam, Elyriorum in Creta numus a Spanhemio relatus, exprimit; Goltzianis tamen ramusculis, qui ab hac quoque forma abludunt, nihilo magis dictamni nomen adferetur. Discrimen istud clarius ut pateret, numum illum Elyriorum heic quoque recudendum curavi Tab. I. num. VIII.

Neque dicere iuvat, fortasse hic Pseudictamnum signatum fuisse; quod id non in sola Creta provenisset, teste *Dioscoride Lib. III. Cap.* 443. Τὸ δὲ ψευδοδίκταμνον καλούμενον φύεται ἐν πολλοῖς τόποις. *Planta, Pseudodictamnum dicta, multis in locis nascitur.* Verum cum ramusculi isti sincero dictamno dissimiles sint, adulterino quoque esse similes non possunt; quando eadem forma Pseudictamno, si folia spectes, quae et dictamno vero, *a Theophrasto* tribuitur *Lib. IX. Cap.* 16. Τὸ δὲ ψευδοδίκταμνον τῷ μὲν φύλλῳ

ὅμοιον,

ὅμοιον, τοῖς κλωνίοις δὲ ἐλάττων. Pseudodictamnum est folio quidem simile dictamno, minoribus tamen ramis.

Denique quod Goltzium impulisse videtur maxime, ut ramusculos illos dictamo tribueret; id me, uti id negem, adducit maxime: neque cervo adsignatos esse hos ramos *Plinio* vero teste *Lib. XXV. Sect.* 53. dictamno tanquam praesentissimo remedio utuntur in Creta cervi, ad eiicienda e corpore iacula, quibus a venatoribus confixi sunt. At enim aliter nos docent, e quibus sua quoque hausit Plinius, *Aristoteles περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων*, et *Theophrastus Lib. IX. Hist. Cap.* 16. qui dictamnum a capris, non a cervis in Creta dictum in finem expeti contestantur. *Aristotelis* haec sunt verba: Αἱ ἐν Κρήτῃ αἶγες, ὅταν τοξευθῶσι, ζητοῦσιν, ὡς ἔοικε, τὸ δίκταμνον, τὸ ἐκεῖ φυόμενον. ὅταν γὰρ φάγωσιν, εὐθὺς ἐκβάλλουσι τὰ τοξεύματα. *Caprae in Creta, dum sagittis figuntur, quaerunt, uti fertur, dictamnum, quod illic nascitur; nam continuo, atque comederint, sagittas eiiciunt. Aelianus* etiam egregius rerum naturalium scriptor, nequaquam Plinium, qui medio fere saeculo praecesserat, caece sequutus est; sed veterum fontes consulens, capris, non cervis, dictamni usum adscripsit *Lib. I. Histor. Var.* Goltzianis itaque in numis, si omnia spe-

ſpectem, nequaquam dictamni; ſed, quod forma ipſa, et ſoli ingenium ſuadet, lauri, et oleae ramum effictum eſſe, dicendum videtur.

Iam vero cuius eſſe plantae putem ramum, fructibus fecundum, qui in noſtro numo elegantiſſime, curatiſſimeque expreſſus habetur, porro diſpiciendum eſt. Eſt vero hic ramus a Goltzianis iuxta, atque a dictamni forma plane abhorrens: et quanquam optime in argento (utinam ita in iconiſmo) ac diſtincte lineamenta omnia effica ſint; fuit tamen non mihi modo, ſed Botanicae rei peritioribus, quos conſului, arduum viſum eam plantam agnoſcere. Plantarum fere omnium, quibus cervi gaudent, quaeque Calabriae climati conveniant, effigies excuſſi; nempe Elaphoboſcum, ſeu ut etiam Dioſcorides nominat, Eleliphaſcum, Seſeli, Spinam cervinam, Cynaram, ſeu Carduum altilem, Sambucum ſilveſtrem, Arum, et ſi quae ſunt aliae: verum aliqua harum, ut Elaphoboſcum, Sambucus, Seſeli non ſatis; aliae nihil omnino ſimilitudinis cum planta noſtra offerebant. Folia equidem ſi ſpectem, vitem dicerem; ſed grana plura, nec e tam longo pediculo pendentia, ſi vitis effica eſſet, numus referret: quoniam et botris avide inhiant cervi, et vini geneроſi fertilis erat

ager

ager Cauloniae. Denique, ſi quidquam cervis proprium heic quaerendum eſt, *Solanum* hac plantae noſtrae effigie repraeſentari puto; cum inter *Solani* varias ſpecies, ſit etiam eiuſmodi reperire, quae folio ad vitem proxime adcedat, et grana quoque ſimili, ut numus habet, figura proferat: qualis eſt illa *Solani* ſpecies, quae quidem *hortenſis*, Graecis τρύχνος, vel στρύχνος κηπαῖος dicebatur; ſed Rovillio vade, iam vulgo, et invitis cultoribus creſcit, ut ſilveſtrium Plantarum ordini adcenſeri poſſit. De hoc, aut ſimili Solano *Geſnerus in Cervo* ex *Hieronymo Trago* haec refert: *Cervi, mares dumtaxat, Solani genus ſilvaticum, noſtri baccas ſoporiferas vocant; et ſimiliter Sambucum ſilvaticam, ſive montanam, cui in umbellis grana croci inſtar rubent, mirum in modum amant, et per aeſtatem illic plerumque verſantur, ubi hae plantae virent: ſolent enim iiſdem fere locis naſci. Depaſcuntur autem frondes tantum, non etiam baccas. Femina utriſque tum Solano, tum Sambuco iam dictis abſtinet: niſi cum foetum maſculinum geſtat; tunc enim, marium inſtar, eis delectatur*. Eſt vero in hoc noſtro numo cervus mas. Si nec hoc quidem placet; dicam ramuſculo noſtro, quod fagi glandiferae prope ſimilis ſit, ſilvas glandiferas indicari, quibus Cauloniatarum regionem abundare *Barrius* teſtatur.

NV-

NVMVS MAMERTINORVM.

TABVLA II.

ΑΔΡΑΝΟΥ. *Adrani*. Caput galeatum, promissis crinibus, et barba.

ΜΑΜΕΡΤΙΝ. *Mamertinorum*. Canis stans. Tab. II. Num. IX. Aeneus parvae formae.

Profertur quidem inter Parutae numos, quos doctissimus *Havercampus* auxit, & illustravit, similis utriusque faciei typus; sed, quod nullibi me vidisse memini, *Adrani* nomen adscriptum non comparet. Feliciter quidem, et erudite Havercampus adsimilem galeati capitis figuram coniecit, Deum Adranum referre; sed monumenti veteris certa deerat auctoritas, quam nunc hoc numo sufficimus.

Messanenses in Sicilia, quum a Mamertinis, Brutiorum populo, in potestatem redacti essent, Mamertinorum subinde nomine fere compellatos fuisse, *Strabo Lib. VI. et Plinius Lib. III.* docuerunt. Numus hic noster ad Siciliam referendus esse, vel ob ipsam *Adrani* epigraphen, videtur. Proprius siquidem, et Indigena Siculorum Deus Adranus est habitus. De eo *ita Plutarchus in Timoleonte:* Αδρανῖται πόλιν μικρὰν μὲν, ἱερὰν δ' ἔσαν Αδράνε Θεῦ τινὸς τιμωμένε ἐν

ὅλῃ

ὅλῃ τῇ Σικελίᾳ, κατοικοῦντες. *Adranitae exiguam quidem urbem, ſacram tamen Deo cuidam Adrano, qui in tota Sicilia colitur, inhabitant*. Templi quoque huius Adrani meminit *Aelianus Lib XI. Hiſt. Animal. Cap* 20. Ἐν Σικελίᾳ Ἀδρανός ἐστι πόλις, ὥς λέγει Νυμφόδωρος, καὶ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ Ἀδράνου νεὼς, ἐπιχωρίου Δαίμονος, πάνυ δ' ἐναργῆ φησὶν εἶναι τοῦτον. *Eſt in Sicilia urbs Adranus, ut ait Nymphodorus, atque in ea urbe Templum Adrani, Dei Indigenae; ferunt porro illuſtre omnino eſſe illud Templum*. „ Eodem loco Aelianus me„ minit ingentes Adrani canes fuiſſe, non „ pauciores quam mille, qui Adrano ſacri, „ eumque colentes, prope Templum aleban„ tur. Obſervavit hoc Vir Eruditiſſimus „ Ioannes Georgius Wachter, Archaeologiae „ Nummariae pag. 147. „ Adranum quoque ἀντονομαστικῶς *Heroëm Siculum* dictum fuiſſe, ex Macrobio, et Heſychio laudatus *Havercampus* comprobat: Macrobius enim e Xenagora refert: Palicos, celeberrimos Siciliae Heroës, vel Deos, ſuaſiſſe Siculis, *ut Heroem Siculum* invocarent; idque ipſis profuiſſe. Heſychius vero Adranum Palicorum Patrem facit: unde pronum illatu eſt, quem Heroëm Palici monuerint a Siculis invocandum. Illud ſolum heic *e Stephano* in vocabulo Παλική adnoto: *Aeſchylum, in Aetnaeis* Iovis, ac Thaliae filios di-

dixisse Palicos, eosdem *a Sileno Lib. II. de Aetna*, Vulcano, et Oceano parentibus tribui.

Vt ut se res habeat cum Palicorum parentibus, illud ob numi nostri epigraphen mirari subit: eccur in Adrani urbis numis, qui hactenus prolati sunt, nuspiam Adranus Deus legatur; quanquam haec urbs in Adrani Dei honorem a Dionysio condita, et hoc nomine ob Templum Adrani insignita sit: quod, praeter laudatos Auctores, *Diodorus Siculus Lib. XIV.* perhibuit; eius tamen Dei in Mamertinorum numis conspiciatur effigies, & legatur nomen. Quum vero Mamertini in aliis suis numis Martis effigiem, et simile etiam nostro caput galeatum, cum epigraphe ΑΡΕΟΣ. *Martis*, repraesentarint, et fuerit Mars eorundem praecipuus Deus, a quo, teste *Festo Pompeio*, *Mamertini* dicti sint; quum *Mamers* Osca lingua *Martem* significaret: suspicari ex his omnibus, et numi nostri imagine coepi, an non apud Siculos ipse quoque Mars *Adrani* nomine venisset? At quoniam veteris Scriptoris mihi non suffragatur auctoritas; rem omnem intra coniecturae limites arcte contineri volo. Quanquam et nominis posset tolerabilis origo adsignari, a verbo δράω, et τῷ α ἐπιτατικῶς sumpto; ita ut notio esset: *valde agens*, *vehementer agens*; quod Marti utique congrueret.

NV-

NVMVS LACEDAEMONIORVM.

TABVLA III.

Caput barbatum, et laureatum, fortasse Iovis.

„ HOc in numo legendo lepido me er-
„ rore deceptum esse, lubens fateor,
„ ac retracto ea, quae isthic prima edi-
„ tione scripsi, et sunt, quae sequuntur,
„ quae deleta volo. Nam quum in hoc
„ Numo, uti figura probe exhibet, non-
„ nisi Λ superius, et altera linea ΕΠΙΕ
„ tantum in tertia linea ΡΥΚ solum com-
„ pareat; neque vestigia alterius literae
„ viderim; et sane ne locum quidem li-
„ terae sufficientem deprehenderim, legen-
„ dum putavi ita: ΛΕΠΙΔΟΣ ΕΡΙΚΕΙΝΩΝ.
„ Attamen nullus dubito e regione τȣ Λ
„ fuisse Α, atque *Lacedaemoniorum* esse
„ Numum, cum solita Clavae intra lauream
„ figura: Magistratus vero nomen adesse
„ ΕΠΙ. ΕΥΡΥΚΛΕΩΣ. Quare de Lepido di-
„ cta ad hunc quidem numum non dicta
„ volo, etsi subiiciantur ad aliorum exem-
„ plum: mihique primum hunc errorem
„ cautioni esse.

NV-

NVMVS ERYCINORVM

TABVLA II.

Caput barbatum, et laureatum, fortaſſe Iovis.

ΛΕΠΙ. ΕΡΥΚ. Λέπιδος Ερυκεινῶν, vel Ερυκαίων. *Lepidus, Erycinorum.* Clava. Ex aere parvi moduli, ad medium accedentis Tabula II. num. X.

HVius numi, qui magnam vetuſtatem ſpirat, ſparſos epigraphes characteres recte me collegiſſe arbitror; quum omnia, uti mox exponam, probe inter ſe ſe congruant. De urbe Eryce ita *Stephanus*: Ερυξ πόλις Σικελίας. Από Ερυκὸς τοῦ Αφροδίτης, καὶ Βύτου. Τὸ εθνικὸν Ερυκῖνος. *Eryx urbs Siciliae, maſculini generis, ab Eryce, Veneris, et Bytae* (alii *Butae*) *filio. Gentile Erycinus.* De hoc Eryce, praeter Hyginum, haec ad numum noſtrum narrat *Pauſanias Lib. III. Cap. 16.* Ηρακλέα γὰρ ἐχεί λόγος παλᾶισαι πρὸς Ερυκα, ἐπὶ τοῖς δὲ εἰρημένοις. ἣν μὲν Ηρακλῆς νικήσῃ, τὴν γῆν Ερυκος Ηρακλέους εἶναι, κρατηθέντος δὲ τῇ πάλῃ, βοῦς τὰς Γηρυόνου. *Fama fertur: Herculem iis conditionibus cum Eryce in certamen deſcendiſſe: ut, ſi quidem ſuperaret Hercules, ipſius eßet regio Erycis; ſi ſuperaretur, boves Geryonis*

Eryci cederet. Huius pugnae idem Auctor *Lib. IV. Cap. ult.* mentionem facit. Exitus pugnae hic erat: *Hercules Victor Eryci et vitam, et regnum eripuit*, ut *Pomponius Sabinus* refert, ab *Rev. P. Harduino* adductus. Victorem igitur, ac Dominum suum simplici, quo veteres gaudebant, clavae signo, Herculem profitentur Erycini. Comprobat hoc alter apud Parutam numus, in cuius altera facie Hercules stans, cum epigraphe ΕΡΥΚΕΙΝΩΝ; in altera caput Veneris Erycinae: cuius celeberrimum Templum in praealto montis Erycis vertice, qui urbi inminebat, constitutum fuisse, *Strabo Lib. VI.* aliique commemorant.

Iam vero quis hic sit Lepidus, quem numo cohonestarunt Erycini, quidve ipsi in Sicilia deberetur, exponendum est. Existimo signatum heic esse Marcum Aemilium Lepidum, qui cum Octavio Caesare, et Marco Antonio Triumviratu R. P. Constituendae inclaruit. Lepidus hic (quod legere est apud Plutarchum, et Dionem) Octavium, cui id maxime cordi erat, ut Sextum Pompeium omni Sicilia exigeret, suis copiis iuvit, ac totam fere Siciliam obtinuit; etsi mox a Caesare copiis, et libertate agendi privatus sit. Sane Lepidus apud *Dionem Lib. XLIX. Caesarem culpabat, recensitis omnibus eius iniuriis, reposcensque ea omnia, quae a*

coniu-

coniuratione prima ſibi data fuerant, *et Siciliam quoque ſua opera ſubactam ſibi vindicans*. Lepido igitur, tunc in Sicilia belligeranti, quemadmodum aliis Triumviris urbes aliae, hoc numo Erycini obſervantiae ſuae monumentum exhibuerunt. Erat quoque Lepidus auctoritatis ſuae, quam ſuſtinere tamen neſciebat, admodum curioſus; id quod *Dio Libro citato* ita expreſſit: *Ipſe*, *ut collega Caeſaris*, *omnia aequali imperio* (in bello Siculo) *adminiſtrare: Caeſar autem Lepido in omnibus rebus*, *tantum Legati loco*, *uti volebat*. Numus noſter cuſus videtur anno V. C. 718. quo Lepidus Meſſanam occuparat, aut anno praecedente. *Haec igitur tanquam non dicta ſunto*.

MACEDONVM NVMI

TABVLA II.

MAcedoniam a Paullo Aemilio, quum Perſeum Regem libertate, et Regno exuiſſet, in quatuor Praefecturas, ſeu Provincias diviſam eſſe, *Livius Lib. XLV. Cap. 29.* nos docet. Comprobant id numi veteres, qui hactenus prolati ſunt, plures cum epigraphe ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ. ſed cum epigraphe ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΔΕΥΤΕΡΑΣ. unicus a Spanhemio: quae recte de hac divi-

ſione accipientes Antiquarii, *Macedonum primae Praefecturae*, et *ſecundae*, interpretati ſunt. Videtur et ille numus minimi moduli (qui a Goltzio, et Harduino non eſt relatus, quem tamen Begerus exhibuit, et in noſtro quoque Cimelio habetur) id confirmare, in quo decuſſatae lineae quatuor in plagas circulum ſecant cum literis M A. Μακεδόνων. totidem Praefecturas indicantes. Tertiae, et quartae Praefecturae Macedonum numi hactenus prolati non ſunt; noſter quartam exhibet, qui ita habet.

Caput laureatum, et barbatum, Iovis.

ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΤΕΤΑΡΤΗΣ. *Macedonum quartae*. Clava ſitu horizontali, quam et epigraphen querna corona ambit: ſunt et monogrammata bina, alterum M et E, alterum N et K complectens. Vid. Tab. II. n. XI.

De quarta hac Praefectura ita *Livius*: *Quartam regionem Eordaei, et Lynceſtae, et Pelagones incolunt. Iuncta his Atintania, et Stymphalis, et Elymiotis*. Monogrammata legenda cenſeo. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΕΛΕΥΘΕΡΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. aut omiſſa etiam voce Ἐλευθέρων, tantum *Macedonum Neocororum*, qui titulus in aliis ipſorum numis habetur. Neque obeſt, repeti in eadem numi parte idem nomen Macedonum. Nam ſimile aliquid inferius in Romano, et Amiſeno numo

mo oſtendam : ut nihil de aliis eiuſmodi numis nunc dicam . In hiſce Macedonum numis clava Herculem notat , a quo originem deducebant Reges Macedoniae. Quercea corona, et caput laureatum, Iovis ſunt ſymbola, qui Herculem ex Alcmena genuit.

NVMVS ARGIVORVM ET VNA EPIDAVRIORVM

TABVLA II.

Caput Lupi ſine epigraphe.

A , et infra E. Αργείων καὶ Επιδαυρίων. *Argivorum* , *et Epidauriorum* . Aeneus parvi moduli. Vide Tabulam II. num. XII.

NVmi Argivorum , quos adferunt Goltzius, Begerus, et Harduinus, una ex parte lupi protomen, ex altera epigraphen ΑΡΓΕΙΩΝ. vel ΑΡΓ. vel Α. exhibent ; ſed ſine Ε. quod in noſtro numo , ſupremum ductum , aliquantum ad perpendiculum inflexum, refert ; ut Π una cum Ε exprimeretur ; atque ita , uti nullus dubito , Επιδαυρίων notaretur.

Argos vero, quae princeps eſt Argolidis in

in Peloponeso urbs, cum Epidauro, eiusdem Argolidis urbe, singulari quodam vinculo constringitur. Viciniae titulo primum obnoxia est Epidaurus Argo; quapropter a Stephano ita memoratur: Επίδαυρος πόλις πρὸς τῷ Αργει. *Epidaurus urbs prope Argos*. Deinde olim Argivis parebant Epidaurii, teste *Pausania Corinth. Cap. 26.* Δηιφόντης δὲ, καὶ οἱ Αργεῖοι τὴν Επίδαυρον ἔσχον. *Deiphontes, et Argivi Epidaurum obtinuerant*. Denique Conditorum quoque arctissimo vinculo hae duae urbes obstringebantur; id quod rursum *Pausanias eodem loco* perhibet: Ην Επιδαύρῳ πατὴρ Αργος, ὁ Διός. Επιδαύριοι δὲ Απόλλωνι Επίδαυρον παῖδα προσποιοῦσιν. *Epidauro pater erat Argus, Iovis filius: Epidaurii tamen Apollini Epidaurum filium tribuunt*.

Atque apud Argivos quoque vetustissimus erat Apollinis cultus, quem Λύκαιον, *Lupinum* compellabant; propterea quod, ut *Pausanias* enarrat, infestati à lupis Argivi, oraculo Apollinis edocti, stipitem, designato loco inventum, cortice exuerint, eumque corticem, carnibus intritum, lupis escam exposuerint; qua delibata, lupi omnes perierint: stipitem vero memoriae causa, in Apollinis, quem Λύκαιον dixere, Templo statuerint. Lupi caput, in moneta nostra, aliisque signatum, hunc Apollinem indicat; quod quidem iam est ab aliis observatum.

Il-

Illud ſuper hac narratione, ὡς ἐν παρόδῳ, animadverto: quum vetuſtiſſimum fuerit apud Graecos Argivorum Regnum, ex huius ſtipitis, in Templo conlocati, monumento, videri, Idolorum originem apud Graecas quaſdam gentes, atque apud Romanos quoque, fortaſſe derivari poſſe.

Nam ſtipites, et informia ligna fuiſſe non Lycaei tantum Apollinis apud Argivos, ſed aliorum quoque Deaſtrorum apud alias gentes antiquiſſima ſigna, teſtantur cum Ethnicorum Scriptorum complures, ut *Vitruvius Lib. III. Plinius Lib. XXXVI. Herodianus Lib. IV. Athenaeus Lib. XIV. Pauſanias* pluribus in locis: tum Chriſtiani etiam auctores: ut *Tertullianus in Apologet.* -- *Et tamen, quanto diſtinguitur a Crucis ſtipite Pallas Attica, et Ceres Pharia, quae ſine effigie rudi palo, et informi ligno proſtat?* Apud *Lactantium* quoque *Lib. I. Inſtit. Cap.* 20. legitur: *Deus Terminus lapis, aut ſtipes.* Similia Idola, quae informi ligno, aut tabula primum conſtarent, enumerat *Clemens Alex. in Protreptico*: uti, Dianae Icariae, Iunonis Cithaeroneae, et Samiae.

Hiſce in ſtipitibus, tabuliſve primum humanam faciem rudi manu ducebant, aut fingebant; qua ratione Termini, Hermae, Canopi ſimulacra confecta videntur. Deinde manus quoque addidere, nondum pe-

dibus opus ſuum auſi conmittere artifices: quin et manus fulcris, ne conlaberentur, muniverunt; ita Dianae Epheſiae, et Iunonis Samiae Idola exſtitiſſe credo. Denique, ſtatuaria arte ad perfectionem deducta, ſimulacra effinxerunt, integram humani corporis figuram referentia.

Quid, ſi apud Romanos quoque Idolorum initia quaedam ad hunc Argivorum decorticatum ſtipitem revocari poſſe ſuſpicemur? Sane non de nihilo eſt, quod *Sextus Pompeius Feſtus* ab *Antonio Auguſtinio* in compendium redactus, adnotavit: *Lignum decorticatum vocatur delubrum, ſeu ſtipes delibratus, quem colebant veteres*. Librum porro pro cortice; ac delibrare, ſeu delubrare, pro decorticare ſumi, *Columella Lib. V. Cap.* 11. nos docet. Conſentit hiſce *Servius* in illud *Virgilii* Lib. IV. Aen. *Delubra adeunt. Ligneum delubrum dicimus, e libro, hoc eſt raſo ligno factum, quod Graece ξόανον dicitur*. Cur vero delibratos ſtipites adirent, colerentque Romani veteres, niſi ſuperſtitionis originem, ut alia fere omnia, a Graecis haberent?



NV-

NVMVS LYSIMACHIENSIVM

TABVLA II.

Caput velatum : videtur Genium Vrbis referre.

ΛΥΣΙΜΑΧΕΩΝ. *Lyſimachienſium.* Victoria ſtans, d. extenſa ſertum geſtat. Aeneus, mediae formae. Tab. II. num. XIII.

LYſimachia Thraciae urbs, in Cherſoneſo ſita, quam Lyſimachus, Thraciae Rex, ex ruinis Cardiae exſcitavit. De ea *Pauſanias in Atticis Cap. 9.* Τὴν Καρδιανῶν πόλιν ἀνελὼν Λυσιμαχίαν ἀντ' αὐτῆς ᾤκισεν ἐπὶ τῷ Ἰσθμῷ τῆς Θρακίας. Comprobat id numus apud Goltzium, in cuius una parte ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *Regis Lyſimachi:* in altera ΛΥΣΙΜΑΧΕΩΝ. *Lyſimachienſium* legitur.

Vrbem hanc, a Thracibus ſubinde ſuccenſam, Antiochus Aſiae Rex inſtauravit, teſte *Livio Lib. XXXIII. Cap.* 38. Plinii tempore iam deſerebatur haec urbs: eamque Hexamilium, pro Lyſimachia, dictam fuiſſe, *Ptolemaeus Lib. III.* meminit. Rurſum tamen inſtauratam, ſuoque veteri etiam nomine celebrem fuiſſe; imo etiam Plinii tempore, aut mox ab eius morte refloruiſſe, teſtantur numi apud Goltzium; unus

Ve-

Vespasiani, cum titulo ΝΕΩΚΟΡΩΝ ; alter Elagabali, cum epigraphe ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ.

Erat quidem altera quoque Lysimachia in Aetolia, uti Stephanus in Λυσιμάχεια. Εστι καὶ πόλις Αιτωλίας. Ad hanc, minus etiam notam, numos hosce Vespasiani, et Elagabali pertinere non posse, ex eo probabile fit: quod suo iam tempore *Strabo Lib. X.* hanc Lysimachiam eversam fuisse prodiderit; neque constet eandem e ruinis rursum exstitisse. Quare non video, cur Ptolemaeus, qui Antonini Pii tempore vixit, nomen Lysimachiae Thracicae in Hexamilium inmutatum scribat: nisi utrumque forte haec urbs nomen retinuisset, veteri tamen in monetis suis usa.

Numus noster magnam vetustatem prae se fert, videturque circa ipsius Lysimachi tempora percussus esse, qui de celebrioribus Alexandri Magni Ducibus non postremus, ab eius morte, Thraciae praefuit, cuius partem armis sibi subiecerat. Victoriae typus in numo nostro eadem victricia Lysimachi arma significare videtur. Inlustr. *Spanhemius Tom. I. Dissert.* 8. *Cap.* 5. huius urbis numum adfert, cum simili velato capite, uti in nostro est, et clava ex altera parte.

NV-

NVMI TOMITARVM

TABVLA II.

TOmitarum numi antiqui, qui Augustorum, Caesarumve vultu signati sunt, satis frequentes habentur: aliorum vero paucissimi prolati sunt. Goltzius unicum exhibet, qui una ex parte caput Apollinis; ex altera Dioscuros ostendit. R. P. Harduinus alium e Cimelio S. Genovefae commemorat, in quo ΤΟΜΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ. *Tomus Conditor*. Quae sit utriusque faciei in numo figura, non adiungit: eius tamen iam antea meminit *Haeschelius in Not. ad Biblioth. Photii*, et ex hoc *Holstenius ad Stephanum*. Quatuor heic ego Tomitarum numos in imagine sistam, quorum tres *Tomi Conditoris* caput ostentant, diversa partis posticae figura: quartus Magistratus nomen exhibet, quod in nullo hactenus Tomitarum numo animadverti. Numi ita habent,

I. TOMOC. *Tomus*. Caput imberbe diademate cinctum.

TOMEITΩN. *Tomitarum*. Leo stans. Vide Tabulam II. num. XIV.

II. TOMOC. KTICTHC. *Tomus Conditor*. Caput, uti in priore.

TOMEITΩN. *Tomitarum*. Hercules stans dexte-

dexteram clava fulcit ; finiſtra pellem leonis ſuſtinet. Tabula II. num. XV.

III. TOMOΥ. HPωOC. *Tomi Herois*. Caput, uti in prioribus.

TOMEITΩN. *Tomitarum*. Figura ſtolata ſtans, dexteram quid gerat, non dignoſcitur ; ſiniſtra haſtam puram. Tabula II. num. XVI.

IV. Caput Mercurii, galero tectum, ſine alis.

TOMI. ΘΕΟΦΙ. Τομιτῶν, Θεοφίλου. *Tomitarum ſub Theophilo*. Caduceus. Numi omnes quatuor ſunt ex aere, parvi moduli : hic poſtremus magnam, prae reliquis, vetuſtatem, qua typi ſimplicitate, qua literis, et fabrica ipſa, oſtendit. Tab. II. num. XVII.

Tomus, Moeſiae inferioris urbs, ad Pontum Euxinum, ab Ovidii exſilio celebris, in numis, ab Antonino Pio ; item in *Notitiis Eccleſiaſticis*, *et a Sozomeno Lib. IV. Cap.* 11. *Hiſtor. Eccl.* Metropolis, Magna, et Felix compellatur. Eius nomen aliter ab aliis ſcribitur *Strabo Lib. VII.* Eandem poſt Iſtrum deſcribens, ita nominat: Εἶτα Τόμις, ἕτερον πολίχνιον ἐν διακοσίοις πεντήκοντα σταδίοις. *Deinde Tomus eſt alia urbecula, diſtans ducenta quinquaginta ſtadia*. Aliud nomen, et maiorem ab Iſtro, ſeu Iſtria diſtantiam ponit *Arrianus in Periplo Euxini* : ab Iſtria nempe ἐς τομέας πόλιν στάδιοι τριακόσιοι, *uſque*

ad

ad urbem Tomeas , ſtadia ducenta . Aliter rurſum apud Stephanum : Τομεὺς πόλις πρὸς τῇ Ὀδησσῷ —— ὁ πολίτης Τομίτης. *Tomeus , urbs ad Odeſſum . Civis , Tomites .* Apud *Statium Silv.* Tomiorum audit :

—— —— Nec triſtis in ipſis
Naſo Tomis . —— —— ——

Ab Ovidio fere Τόμος , *Tomus* dicitur : gentile vero *Tomita* , et hinc *Tomitanus* . Nomen , et originem nominis *Lib. III. Triſt. Eleg. 9.* idem concinit :

Inde Tomis dictus locus hic ; quia fertur in illo
Membra ſoror fratris conſecuiſſe ſui .

Eandem originem (ob dilaniatum illic a Medea Abſyrtum fratrem , ſparſaque eius membra , quo ſpectaculi moerore inſequentem patrem Aeetam remoraretur) refert *Stephanus* , et *Cicero in Orat. pro lege Manilia :* qui tamen id , non tamquam factum certa fide dignum , ſed ex pervulgata fama , perhibet .

Sane Numi , qui *Tomum Conditorem* , eundemque *Herois* titulo inſignem nobis oſtentant , huic narrationi multum derogare videntur , atque a Conditore *Tomo* nomen potius ſumpſiſſe urbem demonſtrant . Ipſe quoque Ovidius urbis Conditores Mileſios ,

quo-

quorum ſortaſſe Dux fuerit Tomus, non obſcure agnoſcit, dum ita ſuum Tomitanam in urbem adventum deſcribit, eandem *Miletida*, ſeu *Mileſida*, cognominans: *Lib. I. Triſt. Eleg.* 11.

A quibus adveniat Miletida ſoſpes in urbem,
Offenſi quo me compulit ira Dei.

Verum Mileſios tamen ſerius eo veniſſe cenſet, et loco ipſi prius nomen Tomi fuiſſe ab Abſyrto. *Lib. III. Triſt. Eleg.* 9.

Huc quoque Mileto miſſi venere Coloni,
Inque Getis Graias conſtituere domos.
Sed vetus huic nomen, poſitaque antiquius urbe,
Conſtat ab Abſyrti caede fuiſſe loco.

At enim mihi probabile non videtur, Conditorem Tomum a loco, eoque inculto, in quo urbem conderet, nomen ſibi ſumere: aut ita opportune cecidiſſe, ut nomine Tomi appellaretur is, qui in eiuſdem nominis loco urbem tum exſtruxiſſet.

Aliam denique viam rimatus ſum, qua et numos hoſce poſſem, et veterem illam, de Tomi nomine, narrationem in tutum deducere. Suſpicor *Tomum* hunc, quem numi referunt, non fuiſſe urbis Tomitanae Conditorem; ſed celeberrimum in toto eo tractu, et vicina Thracia virum: atque prae-

praeter cetera, ob coelibis, caſtaeque vitae laudem (tantum apud Barbaros ipſos haec virtus valebat) inter Divos quoque, aut Heroas relatum. Quod ne citra fundamentum me quiſquam proferre arbitretur; id unum praemoneo: Tomitas, Thraciae proximos, eoſdem fere cum Graeculis (quales et ipſi eſſent) Thracibus mores, dominoſque habuiſſe; quando ipſa etiam quarumdam Ponti urbium nomina, e veteri Thracum idiomate Strabo exponit, et inter Thraciae urbes, a Pontico littore incipientes, Tomum recenſet Plinius. De Thracibus porro haec perhibet *Strabo Lib. VII. p. 296.* Ειναι δέ τινας τῶν Θρακῶν, οἱ χωρὶς γύναικος ζῶσιν, οὓς ΚΤΙΣΤΑΣ καλεῖσθαι, ἀνιερῶσθαί τε διὰ τιμὴν, ϗ μετὰ ἀδείας ζῆν. *Sunt quidam Thracum, qui ſine uxore vivunt, quos* Κτίστας *Conditores appellant: iidem honoris cauſa conſecrantur, ac dum vivunt immunes ſunt.*

In noſtris numis idem Tomus iam Κτίστης, iam Ηρως compellatur: Κτίστης ob continentiae decus, Ηρως; quod conſecrata eſſet eius memoria; in alio numo ΤΟΜΟϹ tantum, ob nominis celebritatem. Quod ſi hic Tomus Conditor urbis Tomorum fuiſſet; exiſtimo eundem in numis ſine Κτιστου titulo (quem aliis in numis obtinet) in aliis vix conſignandum fuiſſe. De numis haec accipio; nam apud Scriptores aliter ſe

res habet : ut apud *Thucydidem Lib. V.* Brasidae Laconum Duci, ὡς Ηρῶι, *tanquam Heroi* honores decretos : et ὡς Κτιστῇ, *tanquam Conditori*, Coloniam dedicatam fuisse, Eruditissimus *Spanhemius*, aliaque similia observavit. Diademate cinctum caput Tomus exhibet; sive quod in vicinia regionem aliquam, aut ipsam Ponti partem cum potestate regia obtineret : sive quod *Consecrato* id honoris tribuerent.

Quod me porro in hac coniectura confirmat, est illud : Ovidium certe, (ut nihil de Strabone, ac Stephano dicam) qui Tomitarum omnia excussit, non ignoraturum, neque silentio praeteriturum fuisse, si de Tomo, urbis Conditore, fama aliqua, aut memoria consignata exstitisset. Nostri vero numi, si fabricam ipsam, et characteres, ac faciem omnem considerem; non videntur mihi ad altiorem vetustatem, quam ad saeculi a Nato Servatore tertii initium circiter revocari posse. Quare Tomum hunc post Ovidii mortem vixisse, ac floruisse existimo.

Controversiae totius haec est Synopsis: pro origine nominis *Tomi*, deducendi ab Absyrto laniato, pugnat famae, ac traditionis vetustas : pro eodem nomine deducto a Tomo, urbis Conditore, numi soli, et haud ita antiqui : pro media quadam via ineun-

ineunda, facit coniectura e Strabone, Tomum hunc non Conditorem urbis; ſed virum continentia, et fortaſſe poteſtate quoque, et fortiter geſtis (quae Leonis, et Herculis effigie numi indicant) inluſtrem fuiſſe. Eruditus Lector arbiter eſto.

NVMVS MARCIANOPOLITARVM

TABVLA III.

MΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΣ. *Marcianopolis*. Caput turritum muliebre, Genium urbis munitae referre ſolitum.

ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Marcianopolitarum*. Figura ſedens, dextera pateram. Tab. III. num. XVIII. Eſt ex aere parvi moduli.

Numum hunc neque Goltzius, neque Harduinus exhibuit. Eundem tamen *Cl. Haymius in Theſauro Britannico* protulit; ſed in eo lapſus eſt (nam numus, ab eodem relatus, eſt omnino noſtro ſimillimus) quod Caput illud turritum, vel flore aliquo ornatum, Marcianae Auguſtae, Traiani Sororis, eſſe putarit. Errorem hunc, quum ſit alicuius in re Numaria vetere momenti, heic mihi viſum eſt, indicari oportere. Nihil tamen idcirco de praeclaris Haymii meritis, atque eruditionis fama decerptum

volo : fuit enim iste oculorum facilis lapsus, non venia modo, sed propemodum laude dignus. Nam quum numum illum nactus esset, in adversa parte aliquantum attritum, ut turres, floresve in capite non discerneret, atque ornatui capitis, quo solet in numis Marciana comparere, hac ratione formam haud multum dissimilem numus exhiberet; epigraphen praeterea non integram legeret, sed tantum ΜΑΡΚ, vel ΜΑΡΚΙΑΝ. Scisset etiam vir eruditus, Marcianopolin, cuius urbis populus in altera numi parte adscribitur, esse a Marciana, Traiani sorore, in Moesia conditam, et cognominatam, teste *Ammiano Marcellino Lib. XXVII*. Sane probabiliter poterat lectionem capitis ita supplere; ΜΑΡΚΙΑΝΗ. ΣΕΒ. *Marciana Augusta*. Quod si ornatum caput distincte vidisset; nullus dubito, quin memor eius numi, qui ab Harduino relatus est, caput turritum exhibens, cum epigraphe CΑΡΔΙC. altera ex parte CΑΡΔΙΑΝΩΝ. quin, inquam, aliter de hoc numo explicando statuisset.



NV-

NVMVS VRBIS ROMAE

TABVLA III.

Cum aliis, monogrammate insignibus. Semis perelegans ita habet:

CAput Iovis laureatum, promissa barba, et capillo: ad occiput litera S. inverso situ insculpta est; cuius inferior tantum ductus comparet, ut similis τῷ C. videatur.

ROMA. Navis, supra quam litera S. qualis in adversa parte, qua nempe indicatur *Semis*. Ex parte monogramma, quale Tab. III. num. XIX. numi effigies refert, quo iterum *Roma* manifeste signatur.

Occasione numi huius duo sunt, quae paucis illustranda suscepi: primo numos alios Cimelii nostri, in quibus praeter monogramma adsignatum, nihil, quod non iam ab aliis esset expositum, deprehendi; deinde pondus huius, et aliarum Romae veteris monetarum, ex aere conflatarum. Monogramma, in quo eadem prope res, quae in eadem numi facie integris literis scripta exstat, adnotata legatur, dabimus inferius in numo Amisenorum, dedimusque in numo Macedonum quartae Praefectu-

rae. Referri huc poteſt, quod de Seleucenſium ad Calycadnum numiſmate, quale in Cimelio etiam noſtro habetur, iam occupavit R. P. Harduinus; iſthic pars averſa inſcripta eſt: ΣΕΛΕΥ... ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ. ΑΘΗ. *Seleucenſium ad Calycadnum, et Athenienſium*. Victoriae typus. In adverſa parte Palladis caput ſeſe offert, cum epigraphe ΣΑ. quod iterum Σελευκέων. Αθηναίων. *Seleucenſium, et Athenienſium*, laudatus Auctor legendum cenſet. Iam ad alia monogrammata. Maronitarum numus argenteus ſolito typo Bacchi ſtantis, et ſolita epigraphe: ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ. *Bacchi Servatoris Maronitarum*: monogramma adſignatum habet ex averſa parte, quale vide Tab. III. num. XX. quod lego Δὶϛ Πατρῴϛ. *Divi, vel Dei Patri*, aut Διονύϛϛ Πατρῴϛ. *Bacchi Patrii*. Et in alio ſimili numo Tab. III. num. XXI. monogramma lego: Πατρῴϛ. *Patrii*: ſubaudiendo *Dei*. Bacchum vero *Deum Patrium* (repetito forte Διονύϛϛ nomine) Maronitae Thraces, ob uberrimum in regione ſua vini proventum, iure optimo compellant: cuius vini praeſtantiam *Tibullus Lib. IV. Paneg. Meſſalae*, et *Plinius Hiſt. Nat. Lib. XIV. ſect. 6.* ſuis laudibus comprobarunt. Neque inſolita eſt veteribus Graecis haec tituli formula *Dei Patrii*; quando inſcri-

ptio-

ptionem antiquam adfert *Gruterus pag.* LX. *num.* 6.

ΔΙΙ. ΠΑΤΡΙΩΙ. ΚΑΙ. ΑΡΤΙΜΠΑΣΑ.

Iovi, seu *Deo Patrio*, *et Artimpasae*. id est: *Veneri Caelesti*. Item aliam *pag.* LXXXVI. *num.* 8. ΑΓΛΙΒΩΛΩ. ΚΑΙ. ΜΑΛΑΧΗΒΗΛ. ΠΑΤΡΩΟΙC. ΘΕΟΙC. etc. Meminit *Pausanias Lib. I. Cap.* 23. statuae Bacchi apud Megarenses, quem Διόνυσον Πατρῷον cognominabant. Apollinem quoque monogrammate honorabant, signabantque urbes nonnullae. De Cauloniatarum numo Goltziano cum ΑΠ. et lauri ramo, suo loco dictum est. Massiliensium numum argenteum tenemus, in cuius postica parte, symbolo non insueto, leo stans exhibetur, cum adiecto monogrammate, quod A et O, ac quodamodo Π complecti videtur, uti habetur Tab. III. num. XXII. legendum puto Απόλλωνι *Apollini*. Convenit autem, id ad Leonis figuram ita signatum fuisse. Constat enim e *Pausania in Phocicis*: Massilienses Leonis aeneum simulacrum Delphos dono misisse, ob devictos navali praelio Carthaginienses, atque Leonem hunc proxime Apollini Delphico statutum fuisse.

Eundem Apollinem in argento suo signasse videntur Apolloniatae, cui praeter ordinarium lauri symbolum hoc mono-

gramma inſeruerunt, quod praeter A. et Π. K. referre videtur, et Tab. III. num. XXIII. exhibetur; id lego: Ἀπόλλωνι Κώκῃ. *Apollini Cocae*, vel *Coccocae*. Apollinis ΚΩΚ. inſcripti, numum Apolloniatarum, item Pauſaniae locum de *Diana Coccoca* R. P. Harduinus attulit; id nomen e *Suida*, *Celerem* ſignificare poſſe, adnotavi alibi, ad numum Apolloniatarum, Caracallae inſcriptum, in quo Apollo ſtans, cum Fortuna: *in Actuario Appendic. ad Num. Graec. Vaillantii*. Quae omnia probabilem reddunt, quam propoſui, monogrammatis huius lectionem.

Aliud quoddam monogramma in Locrenſium numo offendi; eſt is argenteus parvi moduli, et pugilem, uti alii plures, exhibet, cum monogrammate, quod ΟΠ et Υ. comprehendit, uti proponitur Tab. III. num. XXIV. quod lego ΟΠΟΥΝΤΙΩΝ. *Opuntiorum*. Locri iſti in Italia ſunt, de quibus *Virgilius Aen. III. verſ. 399.* canit:

Hic, et Narycii poſuerunt moenia Locri.

Quem in locum ita *Servius*: *Namque prius Naryx, Opuns poſtea dicta*. Nomen Opuntiorum ſumpſere ab Opuntiis in Locride, Graeciae regione, a quibus oriundos eſſe Italiae Locros teſtatur *Thucydides Lib. III.* et *Solinus Cap.* 8. Et quanquam

aliqui

aliqui Opuntiorum numi epigraphen habeant ΟΠΟΝΤΙΩΝ. meam tamen monogrammatis, in hoc numo, lectionem confimat numus apud *Lazium in Graecia antiqua* exhibitus, in cuius eadem parte legitur ΛΟΚΡ. ΟΠΟΥΝΤ. Goltzius quoque numos adfert, qui inscriptioni ΛΟΚΡΩΝ. monogramma ΟΠ adiunctum habent; ita ut Ο intra Π. collocatum sit: id quod pariter ΛΟΚΡΩΝ. ΟΠΟΥΝΤΙΩΝ. *Locrensium, et Opuntiorum* legendum arbitror.

Alterum iam, quod recepi, exsequar, et numi Vrbis Romae, quem initio proposui, aliorumque Romanorum numismatum, qui Assis, aut partium Assis, seu unciarum signa prae se ferunt, pondus expendam. Nemo tamen Dissertationem heic sibi aliquam de Ponderibus veterum polliceatur; intelligo quippe maioris id esse operae, et aliarum virium, quam ego meas agnoscam. Id unum propositum mihi est, ostendere: *Plinium Lib. XXXIII. Sect. XIII.* si quidem, uti videtur voluisse, dum omnes, et maxime primam, aeneae monetae mutationes recensere voluit, multum a vero aberrasse.

Numus itaque noster ROMA. inscriptus, unam propemodum unciam appendit; atque adeo, si *Plinio* credimus, cusus hic numus fuit eo tempore, quod inter bel-

lum primum Punicum, et Hannibalis irruptionem in Italiam intercessit. Nam *Plinius* libro citato: *Librale autem pondus aeris imminutum est Bello Punico primo, quum impensis Respublica non sufficeret: constitutumque est, ut Asses sextantario pondere ferirentur —— Postea Hannibale urgente Marcum, Q. Fabio Maximo Dictatore, Asses unciales facti*. Numus vero noster *Semis* erat, ut nota S. indicat. Igitur As tum erat duarum unciarum, seu sextantario pondere. Quod si *Festum* sequi malimus, numus hic post coeptum bellum Punicum secundum percussus est; nam ita is habet *in verbo sextantarii*: *Propter bellum Punicum secundum decreverunt Patres, ut Asses, qui tum erant librarii, fierent sextantarii*. Ego vero et Plinium et Festum in eo peccasse contendo, quod Assium pondus a librali ad sextantarium, id est, a duodecim unciis ad duas, sine media alia mutatione, imminutum esse perhibeant. Id ex vetustissimis Romanorum numis Cimelii nostri, ad pondus antiquum monetae Romanae exactis, me confecturum spero.

Exstat in Thesauro Caesareo Viennae pulcherrimum illud vetustatis monumentum, pondus LEGIONIS . PRIMAE . ITALICAE . ita enim illic argenteis characteribus, aeneo ponderi insertis, habetur; in cuius superiore

riore plano viſitur X. *decem libras* indicans: inferius: LEGIONI. ITALICAE PONDERA. EXAMINATA. SIG. Eius deſcriptio integra, quum iam ſit a Celeberrimo *Marchione Maffeio* poſt *Epiſtolas de Antiquitatibus Galliae* exhibita *pag.* 189. non repetitur. Pondus hoc mihi contemplandum, et contrectandum indulſit Perilluſtris, atque Eruditiſſimus Bibliothecae Aug. Praeſes Dominus de Garellis. Idem Pondus hoc, et Aſſem Romanum maximum Cimelii ſui ad uſitata Viennae Auſtriae pondera examinavit, atque deprehendit pondus illud Legionis Italicae exacte decem libras vulgares, quibus in mercibus ponderandis iſthic utimur, appendere: Aſſem vero illum libram pharmacopolarum noſtratium, quam ipſi libram Romanam vocant, exaequare. E quibus, quum alterum ab altero comprobetur; manifeſtum fit, habere nos etiamnum pondera, a Romanorum duplici libra, nihil diverſa: quarum alteram Veteres ad compenſandas merces; alteram ad Monetariam Rem, ſaltem aream examinandam, adhibuerunt.

His ego documentis fretus, Aſſes, Semiſſes, Trientes, Quadrantes etc. ad pharmacopolarum noſtrorum libram expendi; atque deprehendi, mutationem ponderis non illico a libra ad ſextantem (quod ipſum politicis ex rationibus, vix credibile vide-

videtur, ſine maxima perturbatione, fieri potuiſſe) ſed per gradus, aut ad ſingulas uncias, aut ad duas certe, ſub initium, et finem: ad tres quatuorve alias, factam fuiſſe. Illud vero nemo heic, ut opinor, a me exiget, ut pondera numorum iſtorum ab iis, quas ſignis ſuis indicant, librae partibus nullis omnino minutiis aberrent. Nam vetuſtatem aliquid, et tempus edax immutaſſe, neque Romanos in aereis hiſce monetis eo rigore, quo in argenteis, aureiſque flandis proceſſiſſe, ſatis certum eſt. Quare ita mihi procedendum duxi, ut proximo unciarum ponderi numum adſcriberem, atque ut defectus, aut exceſſus dimidiam unciam non exaequaret.

Aſſem bene magnum tenemus, ex cuius una parte Iani bifrontis imago, cum ſolito ſigno Aſſis: ex altera Mercurii caput, et culter incurvus. Adpendit hic As novem unciis paullo amplius: quum tamen foramine pertuſus, et arroſus vetuſtate ſit, merito unam circiter unciam, una cum exceſſu illo ſupra novem, eidem attribuo: atque adeo As tum decem unciarum erat. Comprobat id ſemis, qui una in facie Navim, in altera Caput Iovis refert, et literam S. Is numus omnino integer, quinque duntaxat uncias quamproxime exaequat. Dein-

Deinde quadrantem expendi, qui Caput Iunonis Sospitae, et OOO una ex parte, ex alia bovem currentem cum serpente, et epigraphen ROMA refert; is unciam unam, cum dimidia fere, ponderabat. Quum igitur quadrans esset, seu tres uncias assis conficeret quater sumptus sex uncias conficit; As ergo tum ad semissem, seu sex libras imminutus erat. Contestantur hoc ipsum duo sextantes, quorum alteri Lupa cum Romulo, et Remo, et avis, botrum rostro gerens: alteri Mercurii Caput, et Navis cum nomine ROMA, insculpta sunt, una cum signis in utraque numi facie OO. *duarum unciarum*. Numi ambo unciam proxime adpendunt; igitur, sexies sumpti, Assem ad semissis, seu sex unciarum pondus redactum produnt.

Examinatus item est As, qui una in facie Ianum, in altera Navim cum nota Assis, offert; pondus eiusdem paullo levius tribus unciis offendi. Eo igitur tempore ad tres uncias As redactus est: cui suffragatur sextans, Capite Mercurii, et Navi signatus, cum epigraphe ROMA, et utrimque OO. Adpendit hic numus fere semunciam: sexies igitur acceptus Assem trium unciarum explet.

Atque haec, ex unico Granelliano Cimelio deprompta, fidem facere meae sen-

ten-

tentiae abunde poſſunt : Ponderis Aſſis imminutionem non illico e libra ad duas uncias ; ſed ſaltem primum ad decem ; deinde ad ſex, ad tres denique antea uncias, quam ad duas inſtitutam eſſe. Quod ſi plurium antiquarum monetarum Vrbis Romae examen inſtituere Eruditi voluerint ; non dubito, quin alias quoque Aſſis immutationes, et fortaſſe ad ſingulas uncias ſint reperturi ; quemadmodum iam e pluribus monetis, quas heic non adfero, conſtat : de tribus ad duas, de duabus ad unam unciam, et ſemunciam denique Aſſem eſſe deminutum.

Porro autem, ſi ſubtilis quiſpiam argutator neget, ex iis, quae pro regula adſſumpſi, ponderibus ſatis argui, eadem eſſe Romanis ponderibus omnino conſentanea ; Plinii tamen, et Feſti ſententia, Aſſem de libra ad ſextantem eſſe prima imminutione redactum ; Numorum noſtrorum ea, quam inter ſe habent, ponderis proportione, refelletur. E compenſatione quippe noſtrorum numorum patet, ab Aſſe maiori, quem attuli, decrementum ponderis deprehenſum eſſe in ratione arithmetica 10. ad *6.* & deinde *6.* ad 3. qualeſcunque illae partes ſint. Ex Pliniana vero relatione habetur imminutio in ratione 12. ad 2. Quum igitur maior utique

ſit

ſit differentia 12. 2. *aequal.* 10. quam. 10. *6. aequal.* 4. et *6. 3. aequal.* 3. in aperto eſt, diminutionem ponderis, in numis noſtris repertam, mediam interceſſiſſe inter eam, quae a Plinio, tanquam uno ſaltu, prima eſt adſignata. Niſi vero heic ſe aliquis offerre audeat, qui pondus monetae aerae, poſtquam imminutum fuerat, rurſum ad plures uncias Reipublicae decreto adcreviſſe contendat; quod, utrum, qui credat ſit aliquis futurus tam facilis, niſi validiſſimis teſtimoniis comprobetur, vehementer ambigo.

Neque iuvat cum Alciato legere in textu Plinii: *dextantario*, loco *ſextantario pondere*. Nam P. Harduinus manu ſcriptos Codices refragari. deprehendit; et ſi ea correctio daretur, cetera tamen non cohaererent: a decem unciis illico ad duas Aſſem eſſe redactum.

„ Supra laudatus percelebri eruditione
„ Vir Iohan. Georgius Wachterus Archaeo-
„ logiae Nummariae *Cap. X* multis oſten-
„ dere contendit, Aſſes omnes, ſescun-
„ cialibus multo leviores, quos ſeptem un-
„ ciarum cum dimidia eſſe vult, vel non
„ eſſe Romanos Aſſes, vel ad Antonino-
„ rum, Caracallae, et Elegabali tempora
„ eſſe removendos. Non vacat nunc qui-
„ dem ea pluribus confutare; neque opus
„ eſſ

„ esse apud eos arbitror, qui bene mul-
„ tas Assium monetas conspexere. Satis
„ esto Numisma aeneum cum Assis nota,
„ alterum SVLA. alterum CINA inscriptum,
„ duas uncias appendens; quale et Vail-
„ lantius de Nummis antiquis Familiarum
„ Romanar. describit, et habetur in Cimelio
„ Collegii Vindobonensis Soc. Iesu; quod
„ utrumque nemo, arbitror, qui viderit,
„ ad Antoninorum tempora referet: quod
„ sane nullo modo fecit Vaillantius, qui
„ Bello primo Punico Assem ad duas un-
„ cias redactum fuisse arbitratur, libro ci-
„ tato *pag.* 351.

„ Porro grave Numismatum pondus
„ sententiae nostrae addit Ioannes Casp.
„ Eisenschmidius in doctissimo Opusculo
„ *De Ponderibus et Mensuris*, ubi enumera-
„ tis compluribus variisque Assium, et Assis
„ partium ponderibus, sub finem Praefa-
„ tionis ita concludit: *Certum inde sumitur*
„ *argumentum*, *Asses olim haud semel*, *et de*
„ *repente*, *ut ex Plini narratione concludi*
„ *potest*, *e libralibus factos fuisse sextan-*
„ *tarios; sed sensim*, *et repetitis vicibus*
„ *ad unciales*, *tandemque ad semiunciales*
„ *fuisse reductos*.

„ AENEA NVMISMATA ITATIAE, ET SICI-
„ LIAE, notis ponderum Assis etc. insignia,
„ e quorum varietate illud colligi posse
pro-

„ probabiliter videtur : Aſſium pondus , „ uti Romae, ita in vicina reliqua Italia, „ ac Sicilia per varios gradus imminutum „ deinceps fuiſſe. Pauca haec ſtimuli in- „ ſtar ſunto Eruditis , alia plura , ut con- „ quirant, ac tum denique certius aliquid „ hac de re conſtituent. Pondera adnotata „ ſunt librae Norimbergenſis, Pharmaco- „ paeis uſitatae, quae XII. unciis conſtat.

NVMISMATA

primum SICILIAE , *deinde* ITALIAE

CIMELIA		PONDERA
I. *Caeſareum*	Numiſma magnum craſſum ; utrinque S et *Pegaſus*	3. *Vnc. gr.* 40.
2. *Caeſar.*	Bufo ○○ ○)(*Triquetra*, Siciliae ſymbolum. 	2. *Vnc.* 2. *Drachm.*
	ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ.	
3. *Caeſarium & P. Kbell. S.I.*	Aquila leporem corripiens. Cancer marinus intra ſex uncias. 	6. *Drachm.* 20. *gran.*

4. Collegii Vindeb. S. I. — Similes figurae utrimque Sed ○○ — 2. Drachm. 5. gran.

KENTOPIΠINΩN. ○○

5. Caesareum — Aratrum, et Avis. — 42. grana

Caput muliebre, retro ſpica.

6. Colleg. Vindobon. — Simile Numiſma, ſeu Sextans; ſed caput laureatum, loco muliebris. — 45. grana.

7. Colleg. Vindob. — Caput Apollinis laureatum)(KATANAIΩN. II. nota Sextantis Mulier ſtans, d. avem — Λ Drachm. 6. grana.

8. Caeſar. & P. Khell. — Capita iugata Dioſcurorum)(KATAN. IIII. Triens. Mercurius ſtans. *Dubiae aliquantum ſunt lineolae; ſed quatuor potius, quam tres videntur.* — 42. Gran. fere.

9. Coll. Vindob. — Caput Palladis ○○)(TAYPOMEN. Bubo ſtans. — Λ Drach. 6. grana.

10. Coll. Vindob. — Caput ..... pone folium)(ΓΕΛΑΣ. ○○○. Taurus ſtans. — Λ Drach. 7. gran.

11. Caeſareum. — Caput Palladis ○○○○)(TIATI. ○○○○ Noctua ſuper capitello columnae Ionicae. — 5. Drach. 22. gran.

12. *Colleg. Vindob.*	Simile aliud.	5. *Drachm.* 18. *grana.*
13. *Caesar.*	Caput Herculis)(TIATI. ○○○○ Leo gradiens et clava.	4. *Drachm.* 18. 2. *grana*
14. *Caesar.*	Caput Palladis)(TIATI. ○○ Noctua stans.	3. *Drachm.* 9. *grana*
15. *Coll. Vindb.*	Similes figurae; sed Quadrantis notae ○ ○○	3. *Drachm.* 50. *grana.*
16. *Caesar.*	Caput Palladis ○○.)(⋁Ɇ. Veleton Noctua ramo insistens.	2. *Drachm.* 9. *grana.*
17. *P. Khell.*	Simile aliud ○○ ⋁Ɇ.	Ȧ *Drachm.* 29. *grana.*
18. *Caesar.*	Caput galeatum S)(AVSO*norum* S. Hercules stans, d. clavam, s. cornu copiae.	Ȧ *Drachm.* 14. *grana.*
19. *P. Khell.*	Caput laureatum ○○○.)(ΠΕΤΕΛΙΝΩΝ. Iupiter gradiens, d. fulmen.	Ȧ *Drach.* 18. *grana.*

20. P. Khell.	Caput galeatum OO OO)(LOVCERI Rota.	5. Drachm.
21. Caesar.	Caput galeatum OOO)(ΛΟΚρων. Cornu copiae in laurea.	43. grana.
22. P. Khell.	Caput laur. barbatum)(BRVND. S. vir nudus delphino insidens, cum lyra.	Λ Drachm. 13. grana.
23. P. Khell.	Similes figurae utrimque; sed OOO	Λ Drachm. 31. grana.
24. Colleg. Vindob.	Similis inscritio BRVND. et figurae; sed utrimque O, unciae nota.	
25. Collegii Vindob.	Caput incertum)(PHΓΙΝΩΝ. OOOO Tripus	2. Drachm. fere.
26. Colleg. Vindob.	Dioscurorum capita iugata)(PHΓΙΝΩΝ. IIII. Mercurius stans, d. baculum, s. caduceum	Λ Drachm. 2. grana.

27. *Coll. Vindob.*	Caput Iovis)(PHΓINΩN IIII. Mulier ſtans d. ſpicas.	33. *grana.*
28. *Coll. Vindob.*	Caput Palladis OO)(TIANO. Gallus ſtans.	2. *Drachm.* 9. *grana.*
29. *Coll. Vindob.*	Figura ſedens incerta.)(ΛΙΠΑΡΑΙΩΝ OO OO OO	Ȧ *Drachm.* 5. Ȧ *gran.*
30. *Caeſar.*	Caput Martis, et OO)(BPETTIΩN. Tropaeum, pone cornu copiae, et T.	5. *Drachm. fere.*
31. *Caeſar.*	Alius BPETTIΩN. ſupra Victoriolam lunula.)(OO	5. *Drachm. fere.*
32. *Caeſar.*	Alius fere ſimilis.	5. *Drachm.*
33. *Caeſar.*	Caput muliebre. S.)(VALENTIA S. duo cornua copiae.	Ȧ *Drachm.* 29. *grana.*
34. *Coll. Vindob.*	Alius ſimilis. Semis.	2. *Drachm.* 40. *grana*

35. *Noster*	Alius ſimilis. Semis. *Valentiae*, nonnihil attritus; oſtendit tamen.	Ȧ *Drachm.* 40. *grana.*
36. *Caesar. et Noster.*	Caput Herculis)(VALENTIA. OO Clava.	44. *grana.*
37. *Noster.*	Caput Palladis OOOO. Bubo ſtans.	Ȧ *Drachm.* 2. *grana.*
38. *Coll. Vind.*	Caput Palladis galeatum, et OO)(ΚΑΙΛΕΙΝΩΝ. Tropaeum geſtatum a Victoria gradiente.	2. *Drachm.* 26. *grana.*
39. *Caesar.*	Caput Palladis galeatum OO) ΚΑΙΛΙΝΩΝ. OO Tropaeum.	2. *Drachm.* 29. *grana.*
40. *Coll. Vindob. P. Khell.*	Similia duo alia Numiſmata ΚΑΙΛΙΝΩΝ. in area praeterea fulmen, et duo aſtra.	2. *Drachm.* 16. *et* 30. *gran.*
41. *Caesar.*	Simile ΚΑΙΛΙΝΩΝ. in area Clava: eſt tenuis.	

42. Caput muliebre floribus ornatum ΠΑΙΣ *Paesta-* O *norum* O O Cornu copiae, O pone ramus et OOOO — Ả *Drachm.* 3. *grana.*
Caesar.

43. Simile Numiſma cum Trientis nota utrimque — Ả *Drachm.* 15. *grana.*
Nostr.

44. Caput Iovis laureatum. OOO)(ΠΑΙΣ. OOO cornu copiae, pone caducaeus. *Hoc Numiſma par eſt pondere praecedenti; tametſi hoc Quadrans ſit, praecedens Triens.* — Ả *Drach.* 15. *grana.*
Nostr.

45. Caput Palladis galeatum OOO COΠΙΑ. OOOO Cornu copiae. — Ả *Drachm.* 10. *grana.*
Nostr.

46. Caput Muliebre)(ΑΡΠΑΝ. Dimidius Aper. — Ả *Drachm.*
Nostr.

Poſtremos hoſce quatuor Numos dono accepi cum nonnullis aliis a Viro Celeberrimo Domino Du Val, Bibliothecae Auguſtae, quae Florentiae ſervatur, Praefecto digniſſimo: cuius ampliſſima eruditio, nobilis animi candor, et priſca virtus, ſubactumque iudicium mea praedicatione non egent. Mihi ſane ex animo gratulor, Collegam me delectum eſſe talis viri, ad redigendum in ordinem CIMELIARCHIVM NVMARIVM Auguſtiſſimae AVLAE Vindobonenſis, e quo Theſauro multa iſthic ignota Numiſmata deſcripſi.



NV-



NVMI IN ASIA PERCVSSI

PARS ALTERA



NVMVS NICOMEDIENSIVM

TABVLA III.



Gregium hunc, aut simili cum epigraphe, numum Nicomediensium, cuius imaginem Tab. III. N. xxv. sisto, ante nos produxit *R. P. Harduinus de Numis Popul. et Vrb.* e Cimelio Regio; sed nulla typi mentione facta: in epigraphe quoque Epocham adiungere praetermisit; cuius tamen in Chronologia Veteris Testamenti meminit: de figura vero Remae sedentis, et inscriptione ROMA, omnino siluit; aut ista in attrito numo non dignovit. Heic igitur integram eius descriptionem, quia apud nos elegantissimus, et integerrimus est, repraesentandam duxi.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomedienſium*. Caput laureatum Iovis, promiſſa barba.

ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. ΡΩΜΗ. ΔΚΣ. *Sub Caio Papirio Carbone. Roma. Anno* 224. Romae figura, galeato capite, ſedens; d. Victoriolam porrigit, s. haſta pura fulcit. Aeneus mediae formae.

Nicomedia Bithyniae Metropolis, urbs ſplendidiſſima, atque ab aliis iam ſatis inluſtrata, mea heic opera non eget. Verum anni, in hoc numo ſignati, aliqua difficultate non carent. Laudatus *R. P. Harduinus in Chtonolog. Vet. Teſt.* In Gaza Gallorum Regia numos eſſe, refert, unum ſub Caio Papirio Carbone Nicaeenſium, cum notis ΒΚΣ. id eſt anno 222. alios ſimiles Nicomedienſium, Niceaenſium et Bithynienſium, cum epoca ΔΚΣ. 224. Quae urbes omnes tres Bithyniae ſunt, annoſque aerae Graecorum, ſeu Seleucidarum heic eſſe conſignatos, doctiſſimus P. Harduinus arbitratur.

Ego vero heic Bithyniae Regum epocham me deprehendiſſe, atque hoc ipſo numo confirmare poſſe, confido. Id ut praeſtem, infirmanda primum eſt R. P. Harduini ſententia; deinde mea ſtabilienda. Si anni Aerae Graecorum in relatis urbium Bithyniae numis ſignati eſſent, numi iſti cuſi eſſent alii anno V. C. *663*. vel *664*. alii

665.

665. vel *666.* Nam quum aera Graecorum incipiat ab autumno anni V. C. 442. igitur 442. ✠ 222. *aequal.* *664.* quo annus Bithynicus in autumno finitus est, atque incepit ann. V. C. *663.* in autumno. Ita 442. ✠ 224. *aequal.* *666.* et ab autumno anni praecedentis *665.*

Iam vero apud Chronologos, e certa veterum Scriptorum combinatione, id in confesso est, ultimum Bithyniae Regem Nicomedem IV. Epiphanem dictum, vitam finiisse anno V. C. *679.* et Rempublicam Romanam sui regni heredem scripsisse.

Isti igitur Bithynici numi, ad mentem P. Harduini, percussi essent aliquot annis ante Nicomedis postremi obitum. At enim vivente Rege (etsi is in clientelam Romanorum sese dederit, et praesidiarium militem susceperit) a subiectis sibi urbibus signatos esse numos, sola Romani Legati, qualem Papirium fuisse putat Harduinus, nulla vero ipsius Regis mentione facta, quis id sibi persuadeat? Adcedit, nihil adferri auctoritatis, nec adferri fortasse posse, qua ostendatur, tum Caium Papirium Carbonem in Bithyniam Legati nomine missum fuisse. Quod si quis autem neget, Scriptoribus plerisque veteribus fidem habendam; ferat, si ipsi quoque non habebitur. Certe Numorum, et Scriptorum

vete-

veterum consensus in dies pluribus exemplis firmabitur; dum, qui libero animo quaerant, non desint. Atque id ipsum nunc ago.

Aio itaque, in hoc numo signatos annos referendos esse ad aeram Regum Bithyniae, quae apud Doctissimum Spanhemium anno V. C. 466. initium sumpsisse, ex Syncello, et ex obitu ultimi Nicomedis comprobatur. Nam *Syncellus in Excerptis Eusebianis Scaligeri pag. 67.* Bithynorum Reges annis tredecim supra ducentos parmansisse docet. Nicomedes postremus vero e vivis excessit anno V. C. 679. Si igitur 213. anni demantur a 669. habebitur initium aerae anno V. C. 466. cum qua aera omnes annorum notae, in Bithyniae Regum numis detectae, egregie conveniunt: uti laudatus *Spanhemius* ostendit *Tom. I. de praestautia, et usu Num. ant. Dißert. VIII.* §. 7.

Iam vero, ut numum nostrum, aliosque similes, ab eruditissimo Harduino exhibitos, ad hanc aeram pertinentes, annos exhibere credamus, id satis fuerit: urbes istas Nicomediam, Nicaeam, Bithynium, ad Bithyniam tum omnes pertinuisse, et Nicomediam quidem, ac Nicaeam, eius Provinciae metropoles fuisse. Bithynica igitur Epocha maxime congrua quum sit,

qu^e-

quaerendus est Caius Papirius Carbo, qui hisce temporibus in Bithynia, iam Romana Provincia, (uti ex calculo annorum 224. et 222. ad aeram Bithynicam subducto, patet) negotii aliquid habuerit. Ecce vero luculentum *Dionis Cassii* testimonium *Lib. XXXVI.* locum latine tantum, quia longior est; integrum tamen, quia politicam quoque doctrinam complectitur, adscribam: *Et M. quidem Cotta, quum Quaestorem suum P. Oppium, quem donorum acceptorum, et insidiarum suspectum habebat, repudiasset; ipse autem magnam vim pecuniae ex Bithynia corrasisset, a C. Carbone accusatus est: isque Carbo, etsi praeter Tribunatum Plebis honorem alium nullum gesserat, ob id Consularibus honoribus exornatus est. Atque ipse deinde, quum Bithyniam Provinciam obtineret, et, quum Cotta, moderatiorem se non gereret, ab eius filio vice versa in iudicium tractus, reusque peractus est. Longe enim proclivius est, alios reprehendere, quam sibi moderari etc.*

Huic narrationi mox ea Dio subiicit, quae anno V. C. 688. gesta sunt: uti Leunclavius in margine adnotarat. Ad haec tempora itaque si incidant anni, in numis nostris expressi, rectissime se omnia habebunt; et e numis ipsis anni, quibus Bithyniae Caius Carbo, nomine Papirius, praefuit,

fuit, certius determinabuntur. Quare si ad aerae Bithynicae initium anno V. C. 466. adiiciam annos numi nostri, 224. exibit annus V. C. 690. Si Harduini similes numos adhibeam cum annis 222. habebitur annus V. C. 688. usque ad autumnum. Fuit igitur Caius Papirius Carbo Bithyniae Praeses anno V. C. 688. et 690. ac porro Bithynica aera praeclare hoc exemplo constabilitur.

SARDIANORVM NVMVS

TABVLA III.

Caput nudum crispis crinibus, et crispa barba.

CΑΡΔΙΑΝΩΝ. *Sardianorum*. Figura muliebris, brevi vestitu, caput pileo Asiatico tecta, collo et dextro poplite curvato, dextram pectori admovet; sinistra clavam humero imponit, et amiculum sustinet, pelli leonis non absimile. Tab. III. Num. XXVI. Aeneus est, medii moduli.

Sardis, urbs Lydiae vetustissima, et clarissima, non ipsius tantum Lydiae; sed etiam,

etiam, uti nnmus a Spanhemio relatus habet CAPΔIC. ACIAC. ΛΥΔΙΑC. ΕΛΛΑΔΟC. Α ΜΗΤΡΟ ΟΛΙC. *Asiae*, *Lydiae*, *Hellados Prima Metropolis*. Caput virile, quod sane virum robustum ipsa sua forma prodit, Herculem referre arbitror; muliebri vero figura repraesentari Omphalen: quam deperiens Hercules, passus est, depositis armis suis, femineis sese vestibus ornari, atque labores sibi muliebres imperari: quod quum obvium, et ab omnibus Mythologis, ac plerisque Poëis decantatum sit, non repeto. Verum vice versa Omphalen ipsam Herculis arma induisse, haud ita obvium est; est tamen ad numum nostrum necessarium. *Donatus* in illud *Terentii in Eunucho*. *Act*. *V*. *Scena* 8. *Qui minus*, *quam Hercules servivit Omphale*. Ita commentatus est: *Omphale Lydiae Regina fuit*, *quae Herculem sibi servientem etiam ad lanificium compulit*: *quum ipsa calathum*, *et colum*, *cultusque femineos Sagittis*, *et clava*, *leonisque tegmine mutasset*. Quae omnia ad numum nostrum exponendum claro sunt indicio; quippe in urbe Lydiae principe, et veterum Regum sede, percussum: A *Palaephato* Omphale, non Regina Lydiae quidem, sed Ιαρδάνε θυγάτηρ Λυδῶν Βασιλέως appellatur; id est, *Iardani*, *Lydorum Regis*, *filia*.

Con-

Confirmat egregie numi noſtri expoſitionem ſimilis alius apud Begerum; in quo tamen figura Omphales ſtans, cum epigraphe ΜΑΙΟΝΩΝ. *Maeoniorum*, et cum ſimillimo Herculis capite. Maeoniam vero ipſam Lydiam dictam eſſe, vel e *Stephano* patet: Μαιονία, ἡ Λυδία ἀπὸ Μάιονος ποταμȣ̃. *Maeonia*, *Lydia*, dicitur, *a Maeone fluvio*. Comprobat item iſta numus apud Goltzium, qui una ex parte caput noſtro geminum; ex altera quidem parte Herculem ſtantem, ſed epigraphen exhibet ΟΜΦΑΛΙΤΩΝ. *Omphalitarum*. Quod nomen in Omphales, et Herculis memoriam urbi datum eſſe, vel ipſe duplex Herculis typus probabile facit. Fuit autem Ομφάλιον, ſeu, ut *Diodorus Siculus* ſcribit, Ομφάλειον, urbs alia in Creta, alia in Epiro; aut iuxta *Stephanum*, in Theſſalia.

NVMVS CYZICENORVM.

ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Cyzicenorum*. Fax ſola.

TABVLA III.

Bos Cornupeta. Aeneus eſt, mediae formae Tab. III. Num. XXVII.

CEreren, ac Proſerpinam frequentiſſime in numis ſuis conſignaverunt Cyziceni. Heic ſimplici ſymbolo fax inquiſitam

tam a Cerere Proſerpinam notat. Bovis autem figura indicat ſacrificium vaccae nigrae, quo placabatur Proſerpina; qua de re Poëtarum veterum teſtimonia adduxi in *Appendicula ad Numos Coloniarum a Vaillantio editos*, ad numum Antiochenum Iuliae Severi. P. Harduinus quoque *Appianum in Mithridate*, et *Plutarchum in Lucullo*, de nigra bove, a Cyzicenis quotannis Proſerpinae mactari ſolita, mentionem feciſſe, perhibet. Cyzicum, illuſtrem Propontidos urbem fuiſſe, vix opus eſt monere.

ERYTHRAEORVM NVMVS

TABVLA IV.

IEPA. CYNKΛHTOC. *Sanctus Senatus*, vel *Sanctum Concilium*. Protome mulieris, crinibus criſpatis.

EΠ. C. Π. A. ATTAΛOY. T. B. EPYΘPAIΩN. Επὶ Στρατηγȣ̃ Πȣβλίȣ Αιλίȣ Ατ]άλȣ τὸ β Ερυθραίων. *Sub Praetore urbis Publio Aelio Attalo*, *iterum*, *Erythraeorum*. Templum tetraſtylon, in quo idolum Fortunae, capite tutulato: d. temonem, s. cornu copiae gerens. Aeneus medii moduli Tab. IV. num. XXVIII.

Vrbes, Erythra appellatae, quinque a Stephano recenſentur; Europaeae duae, in

in Locride una, altera in Boeotia: alia Lybiae; rurſum alia Cypri, quae Paphus dicta eſt; denique Ερυθρα πόλις Ιωνων —— ὁ πολίτης Ερυθραῖος: *Erythra urbs Ionum —— incola Erythraeus dicitur*. Ad hanc Ioniae Erythram prae Europaea utraque (nam de aliis duabus vix eſſe ſuſpicio poteſt) numum noſtrum pertinere, et Magiſtratus Στρατηγȣ̃ *Praetoris Vrbici*, manifeſtat, quem in monetis ſuis Graecorum Europaeorum urbes expreſſiſſe, non ſunt obſervatae: et ipſum quoque Magiſtratus nomen proprium. Nam *R. P. Harduinus in Num. Popul. et Vrb.* Alexandri Severi numum refert, cum epigraphe ΕΠ. CΤ. Π. ΑΙ. ΑΤΤΑΛΟΥ. ΤΟ. Β. ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ. Ex quo in aperto eſt, eiusdem anni, et Regionis eſſe numum noſtrum. Hunc vero *Harduini*, ex eo quoque probabile fit, ad Ioniae Erythram eſſe potius, quam ad aliam, numum referendum; quod in eo Hercules ſtans exhibeatur. Porro Herculis templo ornatam fuiſſe hanc Erythram, *Plinius Lib. XI. Cap.* 31. teſtatur, et Elagabali numus, Herculis templo inſignis, apud *Triſtanum Tom. II.* confirmat. *Strabo* quoque Herculis Ιποκτόνȣ, quod apes exterminaſſet, apud Erythaeos Ionios cultum floruiſſe *Lib. XIII.* commemorat. De epigraphe: *Sanctus Senatus*, numo ſequente agetur.

TRAI-

TRALLIANORVM NVMVS.

TABVLA IV.

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Sanctus Senatus*, vel *Sanctum Concilium*. Protome mulieris, capite velato.

ΕΠ. ΓΡ. Μ. ΑΥΡ. ΕΥΝΟΟC. Ἐπὶ Γραμματέως Μάρκου Αὐρηλίου Εὐνοος. *Sub scriba Marco Aurelio Euno*. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Trallianorum*. Phoebus, capite radiato, currui quadrigis iuncto insistens, dextram protendit: sinistra flagellum, et lora tenet. Aeneus maximi moduli. Tab. IV. num. XXIX.

Trallis, vel Tralles notissima Lydiae, aut vicinae Cariae urbs, in aere suo Γραμματέως Magistratum exhibere solet; haec tamen nomina viri huius omnia, neque in numis, neque in libris me vidisse memini: atque adeo de numi huius aetate nihil habeo, quod adferam.

Videntur Tralliani hac epigraphe ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Sanctus Senatus*, Romanum potius, quam suae urbis Senatum, honorasse; quoniam numi characteres, et ipsa, quantum coniici potest, aetas, indicant eundem tum percussum esse, quum iam subiecti essent Tralliani Romanis. Confirmare id videtur numus a R. P. Hardui-

no prolatus, in cuius una facie ΙΕΡΟC. ΔΗΜΟC. *Sanctus Populus*. In altera ΤΥΧΗ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Fortuna Trallianorum*. ut adeo hisce numis *Senatum Populumque* Romanum *Sancti* titulo, ac talibus symbolis honorasse videantur: quibus professi sint, ab *Romano Senatu*, tanquam a *Sole*, totum Orbem, et Orientem in primis conlustrari; tum *Fortunam* quoque *Trallianorum* esse *Populi Romani Fortunae* inligatam. Non ignoro tamen, in aere veteri epigraphen ΔΗΜΟΣ. et ΙΕΡΟΣ. ΔΗΜΟΣ. item ΒΟΥΛΗ et ΙΕΡΑ ΒΟΥΛΗ. ad Graecarum etiam Vrbium *Populum*, *Curiamque* signandam adhibitam fuisse. ΙΕΡΑ. ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. tamen, quum quasi proprie *Sacrum Romanorum Senatum* in numis designet; etiam alteram inscriptionem ΙΕΡΟC. ΔΗΜΟC. eiusdem urbis, et fortasse temporis, eodem referendam putavi.

ATTVDEORVM NVMVS.

TABVLA IV.

QVum superiore numo de epigraphe ΔΗΜΟC. *Populus*, et ΒΟΥΛΗ *Senatus*, vel *Curia*, vel *Concilium*, aliqua mentio inlata sit, exemplum heic aliquod subiicere libuit.

AT-

ATTOΥΔΕΩΝ. ΒΟΥΛΗ. *Attudeorum Curia*, seu *Senatus*. Caput videtur laureatum esse, et Maximinum Imperatorem referre. Iconismum vide Tab. IV. num. XXX.

Vrbis huius, de qua Geographi antiquiores silent, notitiam aliquam Erudissimus Pater Harduinus nobis adtulit e *Notitia Ecclesiast. antiqua*, ubi inter sedes Episcopales Phrygiae Pacatianae Αττυδα legitur. Et apud *Leunclavium pag. 98.* ὁ Ατῖεδων. Demum in *Concil. Calched.* Συμμάχιος πόλεως Ατῖεδῶν. *Symmachius urbis Attudorum Episcopus.*

Numi huius urbis, praesertim qui sine Augusti vultu percussi sint, rarissimi exstant: Goltzius nullum eiusmodi; unicum laudatus Harduinus e Cimelio Regio proposuit, in quo inscriptum habetur ΔΗΜΟΣ *Populus*. Qua epigraphe, uti et nostra ΒΟΥΛΗ. ipsius Attudeorum urbis *Senatum*, *Populumque* indicari arbitror; cum nihil heic suadeat, cur Romano Senatui, Populoque potius adscribatur.

Erudito lectori haud ingratum accidet, duas heic antiquas inscriptiones contemplari, quarum, cum aliis pluribus, exemplum, ab Anglis acceptum, Ephesi easdem describentibus, Eruditissimus *Dominus de la Condamine*, cuidam *e Soc. Iesu*, ille mihi indulsit. Fit etiam in his mentio-

tio *Senatus*, et *Populi* Ephesiorum, hoc eodem vocabulo ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜΟΣ. Fideliter apices omnes ac lacunas exhibebo, ac deinde supplebo, quae potero, atque latine reddam.

Supra lapidem positum, ad latus quadragesimi primi arcus aquaeductus.

ΑΥΤΟΚΡΑτορος ΚΑΙΣ
αΡΟΣ ΘΕΟΥ ΤΡΑΙΑΝΟΥ ΠΑΡ
ΘΙΚΟΥ ΥΙΟΥ ΟΙΟΥ νεΡΟΥΑ
υΙΩΝΟΥΤΡΑΙΑΝΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΥ
ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΗΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΣ
ΕΦΕΣΙΩΝ ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ ΟΝΕΩ
ΚΟΡΟΣ ΔΗΜΟΣ ΚΑΘΙΕΡΩΣΑΝ
ΕΠΙ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΕΔΟΥΚΑρ
ΟΥΠΡΕΙΣΚΕΙΝΟΥΨΗΦΙΣ
ΜΕΝΟΥ ΤΙΒ ΚΑΙΤΑΛΙΚΟΥ
ΤΟΥΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣΤΟΥΔΗΜΟΥ
ΕΡ ΕΠΙΣΤΑΤΗΣΑΝΤΟΣ
ΤΙΒ ΚΛΠΕΙΣΩΝΕΙΝΟΥ.

υιον Θεου lego Ν. *pro* Υ. *in fine.*

Pedo Carus sub Traiano Cos.

κλ lego pro κα.

εφ. lego pro ερ.

Sic interpretor: *Imperatoris Caesaris Divi Traiani Parthici Filium, Divi Nervae Nepotem, Traianum Hadrianum Augustum*, colentes *Augusto addictus Ephesiorum Senatus, et Neocorus Populus consecrarunt, sub Pro-Consule Pedone Caro, Priscini filio.*

suffra-

ſuffragium ferente Tiberio Claudio Italico, Scriba Populi Epheſiorum, Praeſide Tiberio Claudio Piſonino. Sequitur altera inſcriptio:

Inſcriptio arcus quadrageſimi ſecundi.

ΗΒΟΥΛΗΚΑΙΟΔΗΜ -- *ſuppleo* ΔΗΜΟΣ
ΕΤΕΙΜΗΣΕΝ
ΑΝΤΟΝΙΑΝΙ ΟΥΛΙ --- ΙΟΥΛΙΑΝ-
ΗΝΤΗΝΙΕΡΕΙΑ --- ΙΕΡΕΙΑΝ
ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣΘ -- ΘΥ
ΓΑΤΕΡΑΜΑΝΤΩΝΙΟ -- ΑΝΤΩΝΙΟΥ
ΒΑΡΟΥΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΚΑΙΦΛΑΒΙΑΣ ΤΕΡΤΥΛΛ -- ΤΕΡΤΥΛΛΗΣ
ΤΗΝΤΕΙΜΗΝ ΑΝΑ
ΣΤΑΣΑΝΤΩΝΟΣΠΟ -- ΠΟΛΛ vel
ΠΟΥΒ. *forte*
ΜΗΤΡΟΔΟΡΟΥΤΟ - ΤΟ. Α. vel Β. *forte*
ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ vel ΤΟΥ
ΘΑΙΑΙΛΙΟΥ ΚΑΙΟ -- ΚΑΙΟΝΙΟΥ *forte*
ΠΙΟΥΤΟΥΓΡΑΜΜΑ
ΤΕΩΣ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ

Manca omnia certo ſupplere non ſum auſus: quae poſſum, ita interpretor: *Senatus Populuſque honoravit Antoniam Iulianam Sacerdotem Dianae, filiam Marci Antonii Vari, Auguſto addicti, et Flaviae Tertullae, honoris ergo excitari hoc monumentum curantibus --- Metrodoro primum, vel*

vel primo Prytane, *et Aelio Caeonio Pio*, *Scriba Populi*.

In his inſcriptionibus, praeter *Senatum*, et *Curiam*, cuius gratia heic allatae ſunt, mentio fit Γραμματέως τȣ̃ Δήμȣ. *Scribae Populi*. Nam Senatui quoque ſuum Γραμματέα fuiſse, in erudita ſua de Γραμματεῦσι Diſsertatione, ex Oxonienſi Marmore oſtendit Doctiſſimus *Dom. Chriſtianus Schwartzius pag.* 14. Eſt aliud quoque Marmor inter noſtra Epheſina, in quo verbum nullum integrum, praeter haec ultima, legere eſt: ΣΤΕΦΑΝΘΕΙΣ ΥΠΟΤΗΣ ΒΟΥΛΗΣ ΚΑΙ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΧΡΥΣΕΩΣΤΕΦΑΝΩ. *Coronatus a Senatu*, *et a Populo corona aurea*. Rurſum alia arcui aquae ductus trigeſimo ſexto vicina, in qua habetur inter cetera:

-------- ΗΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΣ

ΕΦΕΣΙΩΝ ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ ΟΝΕΩ

ΚΟΡΟΣ ΔΙΣ ΔΗΜΟΣ ΚΑΘΙΕΡΩ

ΣΑΝ etc.

Auguſto devotus Epheſiorum Senatus, *et Populus bis Neocorus conſecrarunt*.

NV-

NVMVS TIBERIOPOLITARVM

TABVLA IV.

ALiud adhuc exemplum conſignati Aſiatici *Senatus*, et *Populi* ſufficiunt numi Tiberiopoleos, urbis in Phrygia Pacatiana, quae unico vocabulo Τιβεριόπολις *a Ptolemaeo Lib. V.* et a *Notitia Eccleſ. antiqua* exprimitur; duobus vero a *Socrate Lib. VII. Hiſt. Eccleſ. cap.* 26. Εν Τιβερίου πόλει τῆς Φρυγίας. Numum huius urbis unicum, ſine Auguſti vultu, refert *R. P. Harduinus*; in cuius adverſa parte caput ſenile barbatum, laureatum, cum epigraphe ΔΗΜΟϹ. *Populus*. In averſa ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. Genius urbis ſtans, dextrâ temonem ſiniſtrâ cornu copiae tenens. Noſter numus ita habet:

ΒΟΥΛΗ. *Curia*, *vel Senatus*. Caput velatum muliebris formae.

ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Tiberiopolitarum*. Iupiter togatus ſtans, dextrâ aquilam ſuſtinet. Eſt figura Iovis Φιλαληθοῦς. *Veritatis amantis*. Aeneus parvi moduli, elegans. Vide Tab. IV. num. XXXI.

AMI-

AMISENORVM NVMVS.

TABVLA V.

ΑΜΙΣΟΥ. Αμισȣ̃. *Amisi*. Victoria gradiens, dextra palmam. Ex utraque parte monogramma, quod vide Tab. V. num XXXII.

Caput Medusae, squamato ornatu cinctum: videtur scutum Palladis referre. Aeneus, parvi moduli.

Huius numi typus est iam a Goltzio propositus; sed monogrammata heic alia sunt, quam in Goltzianis numis. Monogramma alterum literas A. M. E. T. manifesto complectitur, quod lego Αμισηνῶν, Μιλησίων. ἔτȣς. *Amisenorum*, *et Milesiorum*, *anno*: Alterum literis Σ. et O. constat, quas esse numericas notas censeo; atque adeo indicare annum 270. Lectionis primum reddenda ratio, deinde epochae.

Numos rectissime e numis exponimus. In laudato saepius *R. P. Harduini* libro Maximini numisma e Cimelio Regio adfertur, cuius postica facies ita inscripta habetur: AMICOY. EΛEYΘEPAC ET. CΞH. AMICHNΩN. MIΛHCIΩN. En tibi, idem nomen urbis Αμισȣ̃, eadem vocabula gentilia, *Amisenorum*, *et Milesiorum*: easdem li-

literas ET. ad annum indicandum, uti in numo noſtro lectum eſt. Porro etiam *Strabo Lib. XII.* Amiſum Mileſiorum Coloniam compellat: etſi Athenienſibus id quoque tribuat *Arrianus in Periplo Ponti Eux*: et *Appianus in Mithridat.*

Numeri, in P. Harduini numo ſignati, ſupputantur ad aeram Amiſi, quae coepit anno V. C. 721. nam ſi addas CΞH. *aequal.* 268. exibit annus V. C. 989. Maximini ſecundus. In noſtro vero numo habetur 270. atque adeo 270. ✠ 721. referret annum V. C. 991. Gordiani Pii primum; niſi aliud obſtaret. Nam numus noſter, qua characteribus, qua forma ſua omni, et fabrica, multo antiquiorem ſe eſse monet.

Alia igitur quercus mihi excutienda eſt, aliudque vetuſtioris epochae quaerendum eſt initium, idque eiusmodi, ut adiectus in numo noſtro annorum numerus 270. praecedat annum V. C. 721. quo nova et altera Epocha initium ſumpſit; quod eo tempore ſe Amiſus, abdicato Stratone Tyranno, in priſtinam libertatem aſseruerit.

Vetuſtiorem hanc aeram non pro lubitu meo confingo; ſed a Doctiſſimo Morellio conſtitutam, Ponti Regum aeram adſumo, deductam a Mithradate Primo, qui Κτιςὴς *Conditor* dictus eſt. Initium ſumitur

mitur ab anno Vrbis conditae 448. quibus adiungendo 270. habetur annus C. V. 718. anterior illo 721. quo nova aerea coepit.

Quid vero magis congruum, quam celeberrimam Ponti Asiatici urbem, eiusdem Ponti Regum aeram usurpasse? Quanquam enim Amisus, sub Persis quoque, iam inde ab sui primordio libera esset; tamen, teste *Appiano in Mithrid.* Ponticis Regibus servire coacta est, et eorumdem quoque Sedes regia erat; uti auctor est *Cicero Orat: pro lege Manilia*: Lucullum cepisse *Sinopen*, *atque Amisum*; *quibus in oppidis erant domicilia Regis*, *omnibus rebus ornata*, *atque referta*. Rursum quidem ab ipso Lucullo primum, ut confirmat *Appianus*, deinde ab Iulio Caesare libertas data est: ab Antonio tamen de integro ablata; ab Augusto denique restituta: quas variantis fortunae vices *Strabo Lib. XII.* exsequitur.

Annus in nostro numo signatus incidit in tempora M. Antonii, quum compositis Ponti rebus in Medos moveret. Verum sive tum libera adhuc Amisus permanserit, sive Regulo alicui, aut Stratoni Tyranno subdita fuerit; nihil vetat, quin prisca Regum aera usos dicamus Amisenos; quando constat, sub Romanis quo-

que,

que, in numis ſuis, urbes quasdam veterem ſupputandi temporis rationem diu retinuiſse.

NVMVS EVMENIS REGIS.

TABVLA V.

QVanquam huius numi, ſane mirabilis et ſingularis, locum, in quo percuſsus ſit, adſignare certum non poſſim; adferendum tamen putavi, atque proponendam ſaltem coniecturam meam, ut ſi quidem mereatur, eam probent Eruditi: ſin autem, meliorem ipſi expoſitionem inveniant. Typum vide Tab. V. num. XXXIII.

BA. intra literam Σ. ut ſit ΒΑΣ. ΕΥ. ſuperius ΝΟ. inferius ΚΔ. lego haec: Βασιλέως Ευμενȣ̃ς, *Regis Eumenis*. ΚΔ. numericas notas arbitror, et indicare annum 24. Regni Eumenis. Literas ΝΟ aut ad nomen Eumenis pertinere arbitror, ut ita Ε. vel cum Α. vel cum Υ. ſimul literam Μ. conſignet: aut ſi ingenio indulgere voluero, legam: Ναὸν Οἰκίσας ΒΑΣιλεὺς ΕΥμενὴς ἔτει ΚΔ. *Aede excitata* (nempe Iovi Capitolino) *Rex Eumenes anno vigeſimo quarto*, hoc numiſma ſignandum curavit: quae lectio cum parte averſa egregie conveniret, in qua ita habetur.

ΚΑΠΕ.

ΚΑΠΕ. quod interpretor Καπετώλιον, *Capitolium*, aut Καπετώλιος Ζεὺς, *Iupiter Capitolinus*. Templum tetraſtylon. Aeneus, medi moduli.

Illas certe literas ΒΑΣ. ΕΥ. una cum ΚΔ. annorum haud dubie notis, quid demum aliud ſignificare credamus, quam Βασιλέα *Regem* aliquem, cuius nomen ab ΕΥ. incipiat, et cuius regni tempus annos quatuor, et viginti ſaltem impleverit? quique Capitoli excitandi, aut colendi Capitolini Iovis, Romae Tutatoris, ſingulares cauſas habuerit; ego ſane non video. Haec vero omnia invenio in Eumene, Rege Pergameno.

Fuit hic Eumenes Attali filius, qui Attalus Φιλορωμαῖος dictus, et primus Pergami Rex adpellatus eſt: de quo *Strabo Lib. XIII.* Ρωμαίοις κατέςη φίλος, καὶ συνεπολέμησε πρὸς Φίλιππον. *Romanorum amicus erat, et in bello adverſus Philippum ſocius.* Eumenes ipſe filiorum Attali natu maximus (fratres enim habebat tres, Attalum, Philadelphum dictum, Philetaerum, et Athenaeum, Strabone teſte) et Regni heres, Romanorum amicitiam maioribus adhuc meritis ſibi devinxit, fratrum ſuorum opera ſtrenue adiutus; ac denique filius Eumenis, Attalus et ipſe, Philometor cognomine, Regnum omne moriens heredi-

tario

tario iure in Populum Romanum tranſtulit.

Eumenes noſter ſane praeclare de Romanis meritus eſt, quos adverſus Perſeum, Antiochum, et Mithradatem bellantes conſtanter adiuvit: uti legere eſt apud *Appianum in Bell. Syr. et Mithridat.* ac fuſe apud *Livium Decade IV. Lib. VI. et VII.* Polybius quidem, et Paterculus ſuſpectam eius in Romanos fidem, aut certe ipſum haeſitantem, faciunt. Verum ſatis purgavit Eumenem ab hac ſuſpicione et Luculli ſenſus, qui eundem Archelao Mithradatis Duci, in exemplum fidei, quam ipſe Romanus Dux praemiis ſit remuneratus, propoſuit, teſte *Appiano* in *Mithrid.* et ampliſſima illa Senatus Romani ſententia, qua eidem Aſia cis Taurum omnis, Antiocho adempta, magnas inter laudes dono data eſt: quod apud *Livium*, et *Strabonem* locis citatis adnotatum legimus.

Eumenes hic, ut Strabo refert: *βασιλεύσας ἔτη τεσσαράκοντα καὶ ἐννέα, ἀπέλιπε τῷ υἱῷ τὴν ἀρχὴν Ατλάλῳ. Cum regnaſſet annos quadraginta novem, filio ſuo Attalo regnum reliquit.* Et quanquam magnus Petavius pro *ἐννέα* legendum cenſeat *ἓν unum et quadraginta*; abunde tamen annorum recenſio eſt pro numo noſtro.

Vrbes duas ſplendide condidiſſe, aut in-

inſtauraſſe, ornaſſeque legitur Eumenes; Eumeniam in Phrygia, de qua *Eutropius Lib. IV. cap.* 2. agens de pugna cum Antiocho: *Auxilio fuit Romanis in ea pugna Eumenes, Attali Regis frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit*: et latinus textus *Chronici Euſebii* prope iisdem verbis. Nomen vero *Eumeniae* urbi huic impoſuiſſe Attalum, in honorem Eumenis noſtri, dicti etiam Philadelphi, *Stephanus* perhibet.

Vrbs altera Pergamus erat, quam Eumenes aedificiis, et Bibliotheca in primis ornavit, *Strabone Lib. XIII. et Plinio Lib. XXXV.* teſtibus. Equidem templum Iovi Capitolino erexiſſe Eumenem, nuſpiam invenio; omnino tamen credibile eſt, publicis etiam monumentis, ſuum in Romanos, atque eorum Tutatorem Iovem Capitolinum, gratum, ac devotum animum teſtatum feciſſe; quippe qui, quantum Regum alius nemo, Romanae Reipublicae deberet. Quod ſi excitato Iovis Capitolini templo (quale habuiſſe Colonias, aliaſque urbes, ex *Aulo Gellio Lib. XVI. Cap.* 13. *Livio etc.* atque ipſis e numis conſtat) Eumenes Romanos non coluit; eiusdem Dei ſaltem in monetis ſuis memoriam, et venerationis ſymbolum aliquod exprimendum curaſſe, dubitare vix licet.

Quare

Quare quum omnia, in numo noſtro expreſſa, cum Rege hoc Eumene plane conveniant, ad alium vero Regem ita applicari, quantum quidem ego video, non poſſint; coniecturae huic meae aliquem peritorum adſenſum polliceri auſim. Eidem ſi adiicere aliam licet, de loco in quo ſignatus ſit hic numus; haud multum a vero me aberraturum puto, ubi Pergamum, Regiam Eumenis ſedem, eiusque Regni urbem principem nominavero. Confirmant me Pergamenorum numi, Auguſti unus, e Cimelio Domini Focuault, dein in Parmenſe inlatus, in quo legitur ΘΕΑΝ. ΡΩΜΗΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΙ. *Deam Romam colunt Pargameni*. Et alii, templum Iovis exhibentes, quos *Vaillantius*, et *Harduinus* recenſent.

ELAEVSIORVM NVMVS.

TABVLA V.

Regem Pergami Eumenem, Rex alter, e numo Elaeuſiorum ſignis quibusdam eruendus, excipiat Archelaus. Habet hic numus duo ſingularia; primum, quod Elaeuſam urbem nobis in memoriam revocet, cuius nullae, cum nomine Elaeuſae,

ſae, hactenus apud Numariae Rei Scriptores, quod ſciam, productae ſunt monetae: alterum, quod Archelai, celeberrimi Cappadociae Regis, vultum nobis exhibet, cuius numum nullum alibi adductum me vidiſſe memini. Archelai Iunioris, Philopatoris dicti, qui filius erat Archelai noſtri, numum unicum e *Baudelotio Utilité des Voyages*, *Tom. II. pag.* 605. repraeſentat Spanhemius, capite imberbi una ex parte, ex altera clava inſignem; idemque Archelai priſci Macedonum Regis numos, quos produxerat Goltzius, commemorat: verum de Archelao Seniore Cappadociae Rege, numum nuſpiam reperit, quem exhiberet. En noſtrum.

Caput barbatum, et diademate cinctum: ad occiput litera A. orbiculo incluſa, qua indicatur. Ἀρχέλαος. *Archelaus*. Exhibetur typus Tab. V. num. XXXIV.

ΕΛΑΙΟΥΣΙΩΝ, ΣΕΒ. Ἐλαιουσίων Σεβαστηνῶν. *Elaeuſiorum Sebaſtenorum*, Victoria, capite galeato, gradiens; dexterâ extenſa ſertum tenet, ſiniſtrâ veſtem adducit. Litera Σ. Ε. et Β. etſi ordine alio, quam quo antea ſcripſeram, numo inſculptae ſint; ſic tamen collocatas, lectaſque oportuit: fuit autem Ε. infra Β. poſitum, quia τῷ Ε. alia litera, quae adtrita eſt, a tergo fuit adnexa, quae, quantum dignoſcere licet,

erat

erat A. ut ita ΣΕΒΑ. ſignatum credam. Vide Tab. V. num. XXXIV. Eſt ex aere mediocris moduli, ad parvum declinantis.

De loco primum dicam; deinde de Rege una et urbe ab ipſo condita. Elaeuſa inſula, et urbs erat ad littus Ciliciae Aſperae: Orthographiam nominis certam, hic denique numus nos docet. Nam a Strabone, et Stephano duplici Σ. Ἐλαιοῦσσα, ſcribitur: ab *Oppiano* vero *Lib. III. Halieut.* atque a Flavio Ioſepho, aut horum potius exſcriptoribus, ſine diphthongo Ἐλεοῦσα, itemque a Plinio *Elëuſa* exprimitur; in numo vero Ἐλαιοῦσα.

Inſulae huius, et urbis ſitum *Plinius Lib. V. Cap. XXXI.* indicat: *Idalium abeſt ab Anemurio Ciliciae quinquaginta M. paſſuum: mare, quod praetenditur, vocant Aulona Cilicium. In eo ſitu Elëuſa inſula eſt.* Vrbs eiuſdem nominis condita illic eſt ab Archelao, Cappadociae Rege, *Strabone* teſte *Lib. XII.* cuius ibidem regia ſedes fuit: Καὶ τὰ ἐν τραχείᾳ Κιλικίᾳ, ἐν ᾗ τὴν Ἐλαιοῦσσαν νῆσον εὔκαρπον συνέκτισεν Ἀρχέλαος ἀξιολόγως, καὶ τὸ πλέον ἐνταῦθα διέτριβεν. *Quaeque in Cilicia Aſpera ſunt, in qua Elaeuſſam Inſulam fertilem, urbe exſtructa, frequentavit, atque eam ut plurimum incoluit.* Similia *Lib. XIV.* habet. Praeter hanc Archelai, Elaeuſam inhabitandi, conſuetudinem, alterum quo-

que huius urbis nomen Iosephus *Lib. XVI. Antiq. Cap. IV.* exponit: Ηρώδης δὲ πλέων σὺν τοῖς παισιν, ὡς ἐγένετο κατὰ Κιλικίαν ἐν Ελεύσῃ, τῇ μετωνομασμένῃ νῦν Σεβαςῇ, καταλαμβάνει τὸν βασιλέα τῆς Καππαδοκίας Αρχέλαον. *Herodes autem cum filiis suis navigans, ubi ad Ciliciam in Elëusam pervenit, quae nunc Sebaste adpellatur, convenit illic Archelaum, Cappadociae Regem.* Vtriusque nominis Elaeusae, et Sebastes meminit etiam *Stephanus*, et gentile nomen Ελαίουσσιος format, quale, dempto uno s. in numo nostro signatum est. *Ptolemaeus Lib. V. Cap. VIII.* solum nomen Sebastes adfert, atque cum vicina Coryco, uti et Stephanus, nominat: Τῆς ἰδίας Κιλικίας, Κώρυκος Σεβαςή. *Ciliciae propriae, Corycus, Sebaste.*

Numi quoque huius urbis, qui a Commodi temporibus habentur, ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ tantum inscripti deprehenduntur. At noster, quum utrumque nomen ostentet, haud dubie eo tempore cusus videtur, quo Elaeusae nomen non dum exolevit; imo vero, quo Sebastes compellatio, honorifici cognominis ergo tantum usurpata fuerat. Equidem ipsum Archelaum *Sebastes* nomen Elaeusae suae adiecisse, nuspiam lego: certum mihi tamen est, id Archelao auctore factum esse. Nam *Sebastes*, seu *Augustae* nomen, uti aliae urbes, ita

ita haec quoque non niſi in Auguſti honorem obtinuit : atque adeo, aut vivente adhuc Auguſto, aut recenti eius durante memoria. Archelaus vero beneficiis egregiis eſt ab Auguſto cumulatus; quum non modo ab Antonio data, ei, et Amyntae, ſolis permiſerit Caeſar Auguſtus: quod *Dio Lib. LI.* refert : verum etiam Ciliciae parte, et Armenia minore donaverit, ut idem *Dio Lib. LIV.* perhibet. Archelaus porro anno a morte Auguſti quarto, V. C. 770. Tiberio imperante, ipſique infenſo, Romae accuſatus, *finem vitae*, ut cum *Tacito Lib. II. Annal*. loquar, *ſponte*, *aut fato implevit*. Dubitandum igitur nullo modo arbitror, Archelaum ipſum Elaeuſam ſuam *Sebaſtes* cognomine adpellaſſe.

Quod vero Strabo, qui ſub Tiberio ſcripſit, ſolius nominis Elaeuſae mentionem faciat, inde factum videtur; quod ſub initium vetus nomen *Elaeuſae* loco principe, uti noſter numus teſtatur, retentum ſit, et cognominis inſtar *Sebaſtes* compellatio adceſſerit; ſubinde vero cognomen, quod et in hominum cognominibus ſaepe accidiſſe conſtat, ſeu adulatione, ſeu Romanorum, Cappadociae, ac Ciliciae, in Provinciam redactae, Dominorum iuſſu, prae veteri Elaeuſae nomine invaluerit.

Satis argumentorum me attulisse existimo, cur τὸ A. in adversa numi nostri parte signatum, Archelai Regis nomen indicare; et caput diadematum, eiusdem Regis vultum referre, censuerim. Iovis quidem certe caput heic signatum esse, non credo, quod lauro cinctum, et prolixiore barba effingi solet.

NVMVS CORYCIOTARVM ET HERACLEAE

TABVLA V.

ELaeusae vicina Corycus heic sibi locum vendicat. Numum Coryciatarum, sine Augusti capite, unum Goltzius protulit, qui cistam Bacchi, et caput Iovis exhibet, cum epigraphe: ΚΩΡΥΚΙΩΝ. atque hunc numum ad Cretae Corycum Goltzius refert. Alii numi, sub Augustis signati, ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ. inscripti leguntur, addito nonnunquam titulo Ἀσύλȣ, et Ναυάρχιδος, *Asyli iure gaudentis*, *et Classicae*. Noster quoque numus ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ. gentile nomen profert; Stephanus utroque modo format: Κώρυκος πόλις Κιλικίας -- τὸ ἐθνικὸν Κωρύκιος —— λέγεται καὶ Κωρυκιώτης.

Co-

Corycus urbs Ciliciae, *gentile Corycius*, *dicitur etiam Coryciota*. Numum noſtrum in imagine ſiſto Tab. V. num. XXXV. quem quidem iam obiter deſcripſeram in *Auctario Appendiculae ad Numos Graecos Vaillantii*. Ita habet:

Caput muliebre turritum, ad occiput ΔΤ. *Anno* 304.

ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ. ΗΡ. ΤΑΡ. Κωρυκιωτῶν, Ηρακλεωτῶν, Ταρτέων. *Coryciotarum*, *Heracleotarum*, *Tarſenſium*. Mercurius, galero tectus, ſtans, deſtra ſtrophium colligit; ſiniſtra caduceum ſuſtinet. Aeneus, parvi moduli.

Characteres ΔΤ. in antica numi parte ſignatos, annorum eſſe notas, nullus dubito. Quum vero numus multam vetuſtatem ſpiret, et numerus ſat magnus indicetur; ad nullam Ciliciarum urbium aeram, quae, in Auguſtorum numis, ſerius coepiſſe, repertae ſunt, applicari poſſe, perſuaſum habeo. E vetuſtioribus vero epochis, cui rectius, quam Seleucidarum adtribuam, non invenio. Si itaque addam 304. ✠ 442. habebo annum V. C. 746. Eo tempore Elaeuſa, cum vicinis urbibus, uti ad numum praecedentem adnotavimus, Archelao parebat; quem epocham aliquam novam, vetere abolita, inſtituiſſe non conſtat. Corycum vero Elaeu-

ſae vicinam, imo proximam fuiſſe, Ptolemaeus, Oppianus, et Stephanus comprobant, qui has duas urbes in deſcriptione Ciliciae conſociant.

Haud procul ab Elaeuſa etiam Tarſus aberat, clariſſima Ciliciae metropolis: quare τὸ TAP. in averſa numi facie citra dubium Ταρσέων, *Tarſenſium* legeram: concordiam, aliumve harum urbium nexum indicari credens. Τὸ HP. vero etſi Ηρακλεωτῶν *Heracleotarum*, legendum arbitrer; cui tamen Heracleae, quum viginti tres recenſeat Stephanus, ac inter duas potiſſimum, utri hanc epigraphen tribuam, ambiguus haereo.

Heracleam Cariae, quod inter Aſiae minoris urbes eiuſdem nominis, proxima eſſet Ciliciae, heic accipi oportere primum ſuſpicabar; ad quod confirmandum induxi in dicto *Auctario Appendiculae* inſignem Tarſenſium numum, in quo, uti deſcripſere Vaillantius, et Harduinus, tres figurae, totidem Provincias referentes, effictae ſunt, Genio urbis Tarſenſis coronam imponentes, cum epigraphe: ΕΠΙ. ΑΡΧ. Γ. ΟΜ. CEYHPIAN. TAPOCY. MHTP. ΤΩΝ. ΚΙΛΙΚΩΝ. ICAYPIA. ΚΑΡΙΑ. ΛΥΚΑΟΝΙΑ. *Sub Archonte Caio Hom. —— Severianae Tarſi, Metropoleos Cilicum, Iſauria, Caria, Lycaonia*. Hoc ex numo, et Scriptorum vete-

rum

rum teſtimoniis collegeram, ſingulare quoddam iuris, aut amicitiae vinculum Cariam Ciliciae adſtrinxiſſe: quod et urbes ſuis in numis profeſſae fuerint.

Aliud quoque, ad illuſtrandum hunc nexum Heracleae Cariae cum Tarſo, numiſma in ſubſidium vocaveram ex Collectione R. P. Harduini, in quo legebat: H. TA. ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. ΔΞΡ. infra nota Praefecti monetae: omnia intra coronam lauream, in medio fulmen: altera numi pars caput Iovis refert. Quae ita interpretatur laudatus Scriptor: *Heracleae, et Tarſi, Fratrum Populorum, anno 165.* Dubitat etiam Harduinus, Thraciaene, an Ponti Cariae, an Aeoliae Heracleam heic indicatam arbitretur.

Poſteaquam vero ſimilem omnino numum in Cimelio Granelliano conſpexi, qui a modo deſcripto vix quidquam diverſi, praeter unius anni numerum, haberet, uti habetur Tab. V. num. XXXVI. cuius unum monogramma item H. et P. conexum exhiberet; alterum vero non Tarſum, ſed BΥ. quod lego Βύβλος, atque adeo Byblum urbem indicaret; confirmatus quidem in ea opinione ſum, *Heracleae* urbis heic mentionem fieri: imo vero, quum in utroque numo *Heracleae* nomen quum diverſae urbis nomine compareret, ipſius

Heracleae eſſe numos hoſce, quae cum aliis urbibus *fraternam populorum concordiam*, in aere ſuo commendaret. Verum loco Caricae Heracleae alius mihi in mentem venit, cum qua, niſi horum duorum numorum omnia egregie congruere oſtendero, dicta non dicta volo.

Eſt ea Heraclea in Pieria, Syriae regione, ſita. Sane vix alia re opus eſſe puto, quam ut Seleuciae, urbis eiuſdem Pieriae, numos quiſquam cum hiſce noſtris conferat, quo mea comprobetur ſententia. Seleucenſes numi caput Iovis ex una parte; ex altera fulmen ibidem oſtentant, ut in numis noſtris. Iupiter hic in Seleuciae nonnullis numis ΖΕΥΣ. ΚΕΡΑΥΝΙΟΣ. *Iupiter Tonans*, vel *Fulgerator*, inſcribitur: in memoriam eius facti, quo Seleuco Nicatori, dum Seleuciam conditurus ad aras ſacra faceret, fulminis ictu addictum eſſe ferunt.

Deinde inſcriptio ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. *Fratrum Popolorum*, huic regioni praeclare convenit; nam principes quatuor Pieriae urbes, quas Τετραπόλεως nomine complexi ſunt Veteres, nempe Antiochia Daphnes, Seleucia, Apamea, et Laodicea, hoc eodem Ἀδελφῶν vocabulo uſae ſunt, teſte *Strabone Lib. XVI.* Ἐλέγοντο ἀλλήλων ΑΔΕΛΦΑΙ, διὰ τὴν ὁμόνοιαν, Σελεύκου τοῦ Νικάτορος

κτίσ-

κλίσμα. Vrbes hae ab invicem Sorores, seu Fraternae dictae sunt, ob concordiam, quum essent a Seleuco Nicatore conditae. Porro Strabo eadem pagina Tarsum ab eodem Seleuco conditam esse memorat. Vnde in aperto est, cur Heraclea Pieriae *fraternam concordiam* cum Tarso iactet: quae etiam esset, uti primariae in Pieria urbes, Σελεύκου τοῦ Νικάτορος κλίσμα.

Porro Byblenses inter, et Heracleotas Pieriae, Concordiae vinculum intercessisse, situs ipse credibile facit; ad eandem quippe Syriaci littoris oram, haud ita magno ab se invicem intervallo, ambae urbes constitutae erant.

Denique annorum numeros utriusque numi supputandos existimo ad Aeram, Seleucensibus in Pieria usurpatam: non illam quidem, quae a Pompeio; neque alteram, quae ab Augusto deducitur; verum ad antiquiorem, quam celeberrimus Norisius a pace, inter Antiochos Fratres constituta, derivat, quae coepit anno V. C. 645. Addendo igitur 164. vel 165. exibit annus V. C. 809. vel 810. qui fuit annus Imperii Neronis tertius, et quartus. Huic vero Epochae cur potius, quam Pompeianae, aut Augustanae tribuam, ratio est; tum quod numi nullum cum Romanis nexum exhibeant, nullaque signa,

quibus

quibus Seleucia se ipsis obnoxiam fateatur: tum quod characteres numerorum probabili argumento sint, ante Domitiani tempora eosdem esse signatos. Si autem Pompeiana Aera adsumeretur anno V. C. 691. incipiens, addendo 164. deveniretur ad annum V. C. 856. Traiano iam Imperante.

Haec omnia incertum me reddidere, utrinam Heracleae, Caricae, an Syriacae, τὸ HP. in numo Coryciatarum expressum, rectius convenire pronuntiem. Fateor tamen ob duos, modo expositos, numos magis me ad Heracleam Pieriae inclinare. Eruditi Lectoris arbitrium esto.

TRIPOLITARVM NVMVS.

TABVLA V.

TRipolin Phoeniciae urbem Seleucidarum Aera suis in monetis usam fuisse, e numis Augusti certum habemus; in quibus cum notae ΠΣ. aequales 280. et ΙΤ. aequales 310. exstent; in aperto est, has ad aliam referri praesertim in Syriacis urbibus, quam ad Seleucidarum Aeram non oportere.

Aliam porro, haud ita antiquam Epocham suo in aere indicasse Tripolitas, extra dubium est: unde ea initium sumpse-

pferit , id vero controverfum eft : *R. P. Harduinus in Chronol. Vet. Teft.* e numo Tripolitano , qui una ex parte caput nudum M. Antonii : ex altera caput Cleopatrae Reginae diadematum offert , cum epigraphe : ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. ΓΚ. *Tripolitarum anno* 23. confeciffe fe putat : Tripolitas Aeram Caefarianam , quae eadem Antoniana fit , coeptam Anno V. C. 705. in hoc numo confignaffe . Duobus rem argumentis firmare connititur : altero , quod Antonii vultum numus prae fe ferat , videri et epocham Caefariano - Antonianam adhibitam ; altero , aliam Aeram heic effe non poffe , atque Pompeianam , vel Caefarianam laudatam : Pompeianam vero huc non facere ; quod , numis teftibus , inferiorem tantum , feu meridionalem , non vero fuperiorem , feu borealem Syriae partem in ordinem redegerit , eamque beneficiis , aut Societatis foedere inito fibi devinxerit Pompeius .

His ita , uti putat , conftabilitis , recte fane deducit : Actiacam pugnam (quam fecutus eft Antonii interitus) non anno V. C. 723. quae communis erat omnium fententia ; fed anno faltem 727. exeunte , aut potius 728. adcidiffe. Nam in hoc numo Antonii vultus indicat , eo vivente , ac florente hanc monetam effe percuffam ;

atque

atque adeo, ſi ad initium Aerae Caeſariano - Antonianae 705. adiungantur 23. incipiet annus iſte vigeſimus tertius Tripolitarum in autumno anni V. C. 727. quo adhuc in vivis erat Antonius.

Nodus heic alius incidit. Nam ſi ex mente P. Harduini anno V. C. 705, foedus cum Romanis inierunt Tripolitae, atque ab eo ſupputare annos ſuos uſque ad Antonii obitum coeperunt; quid erat, quod interea temporis antiquam Seleucidarum Aeram reſumerent? ſiquidem in Auguſti numo, ſuperius relato, habetur ΠΣ. *aequal.* 280. adde 442. habes annum V. C. 722. qui iuxta Tripolitanos coepit in autumno anni 721. Cur igitur in illo Antonii numo ad Antonianam Epocham anno 727. redierunt? Expedite vero heic reſpondet, nodumque omnem expedit: anno V. C. 721. Tripolitas foedus, cum Romanis antea initum, ita diſſolviſſe, quin tamen amicitiae renuntiarent; id vero deinde innovaſſe ante annum V. C. 727.

His ego viri eruditiſſimi coniecturis facilius adſenſum praeberem, ſi Actiacae Victoriae Epocha, contra unanimem veterum, atque recentiorum conſenſum, loco ſuo non moveretur, atque quinque annis ſerius incoepiſſe ſtatueretur. Quid enim tanti momenti heic etiam adfertur, cuius

cauſa

causa Scriptorum omnium fidem, et vadimonium deferamus? Antonii vultum praesefert numus: igitur Antonianam Aeram numus exhibet? nego enim vero hanc sequelam; praesertim quum habeam aliam viam, qua omnia tuto deducam. Foedus cum Romanis initum, et rescissum pro libitu fingitur; at numi, Antonianae Aerae repugnantes, ita facere cogunt. Pompeiana Aera ne admittatur, id unum opponitur: Pompeio in Australi Syria nihil admodum negotii fuisse. Verum contraria Numorum, et Historicorum auctoritate comprobantur.

Nihil igitur Antonianam Aeram heic moror; sed in Tripolitanis numis antiquioribus, qui exigui numeri characteribus insignes sunt, Pompeianam Aeram, ab anno V. C. 691. incoeptam, adhibitam fuisse contendo. Numum nostrum ante exhibebo, quam ei rei argumenta dicam. Vide Tab. V. num. XXXVII.

Caput muliebre turritum.

ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. Α. L. Η. Αυτονόμου vel, Πρώτης, Λυκάβαντος η. *Tripolitarum urbis, propriis legibus utentis*, vel *Primae anno* 8. Dioscuri equites, hastam gestantes, utriusque pileo stella insistit. Aeneus parvi moduli.

Lite-

Literam A. hic praeter morem Tripolitanorum numorum τῷ L. praepoſitam, lego vel Πρώτης, *Primae*; quoniam numiſma Regis Galliarum ab Harduino profertur, in quo legitur: KOINON. ΠΡΩΤΗΣ. ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Commune Primae Tripolitarum*. quod numiſma Antonio, et Cleopatrae dicatum eſt; adeoque eorundem temporum, ac numus noſter: vel legi poteſt τὸ A. Αὐτονόμου. Nam hoc etiam titulo inſignem Tiipolitarum numum Spanhemius Tom. I. Diſſert. IX. §. 11. e Cimeliarchio Pembrochiano produxit, ita inſcriptum: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Tripolitarum urbis Sacrae, et ſuis legibus utentis*.

Hoc Αὐτονομίας exercitium, utrum a Pompeio Tripolitanis indultum ſit, quum auctoritas ſatis clara id non comprobet, certo adſerere nolim; illud tamen certum habemus, quod inficias ibat R. P. Harduinus, Pompeium in Syria propria, et ſeptentrionali, atque in Phoenicia regione, in qua Ttripolis ſita eſt, fuiſſe, et aliquid negotii compoſuiſſe. *Plutarchus in Pompeio* refert: eundem in *Syriam* profectum, eamquae quod legitimos Reges non haberet, in Provinciam Populi Romani redegiſſe: deinde ſubdit ſingillatim: *Iudaeam porro ſubegit*. *Syriam* profecto hic

pro-

propriam, et Septentrionalem quoque intelligi debere, nemo non videt. *Dio. Lib. XXXVII. Constituta Syria, atque Phoenice, adversus Aretam* Pompeius *se convertit*. En de Phoenicia testimonium, in cuius maxime Boreali parte sita erat Tripolis. Atque haec a Pompeio gesta sunt in Syria anno V. C. 691. a quo Aera Pompeiana initium sumit.

Porro autem de ipsa quoque Tripolitana urbe egregie, singulari conlato beneficio, meritus est Pompeius, qui Tripolitanae urbis Tyrannum, Dionysium Tyrium, capite plectendum curavit; uti colligitur ex *Flavio Iosepho Lib. XVI. antiq. Cap.* 5. Qua occasione, circa annum 691. Tripolitanis aut Αυτονομίαν, aut alia salubria instituta, a Pompeio impertita esse existimo.

Sane *Card. Norisius de Epoch. Syro Maced.* ex numis iuxta, atque ex *Eutropii Lib. VI.* et *Collectaneis Porphyrii apud Scaligerum* commonstat, Antiochiam, Seleuciam, et Laodiceam, Syriae propriae, et Septentrionales urbes, Αυτονομίαν, et libertatem cum aliis Syriae urbibus accepisse; atque inde annorum numeros, aeri suo consignatos, deduxisse. Quibus omnibus expensis, iure merito ego quoque numi nostri exiguos numeros, aliosque id genus,

nus, ad Pompeianam Aeram revocandos censeo.

Ita denique Aera Seleucidarum nihil in Tripolitanis numis obturbabit. Noster enim numus, exhibens annum octavum Aerae Pompeianae, dabit annum V. C. *699*. Antonii: et Cleopatrae numus, cum anno 23. dabit annum V. C. 714. quo anno Antonius, inita cum Octaviano pace, urbem ovans ingressus est. Numus vero ille, qui sub Augusto 280. prae se fert, quum incidat, ab Aera Graecorum supputando, in annum V. C. 727. indicat Tripolitanos iam desiisse Aera Pompeiana in numis uti. Nihil heic secum pugnans: inter Scriptores, et Numos veteres egregie convenit: neque, ut antiqua de statione sua Actiacae pugnae Aeram depellamus, quidquam est, quod nobis occasionem praebeat.

Quod vero heic Scriptoribus veteribus fidem aliquis neget, & suis tantum ad numos exponendos coniecturis credi velit; nae illi ego iniuriam haud fecero, si meam, et aliorum explicationem numorum veterum, una cum ingenti, hac quidem in re, Historicorum, et Chronologorum prope omnium consensu, audenter opposuero.

NV-

NVMVS TARSENSIVM

TABVLA V.

ΤΑΡΣΕΩΝ. *Tarſenſium*. Nomen aliud, fortaſſe Magiſtratus, legi totum non poteſt. Iupiter ſedens, ſemicinctus; dextra Victoriolam, coronam offerentem, ſuſtinet; ſiniſtram haſta pura fulcit.

ΝΕΩΚΟΡ. Νεωκόρων, *Aedituorum*, nempe Tarſenſium. Litera Β. etiam adparet; ſed quum una alterave litera in area numi extrita ſit; dubito, utrum Β. ad Νεωκόρων pertineat, ut ſit *Iterum Aedituorum*: an vero praeceſſerit Γ. ut ſit Γράμματι Βυλῆς *Senatus Decreto*. Figura muliebris ſedens, capite turrito, manibus protenſis, ad pedes figura nuda procumbens. Vid. Tab. V. num. XXXVIII. Aeneus mediae formae.

Iovis inſignem cultum, et ſimulacrum proprium apud Tarſenſes fuiſſe, ex Hadriani numo, quem R. P. Harduinus protulit, confirmatur, in quo legitur ΔΙΟΣ. ΤΑΡΣΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠ. *Iovis Tarſenſium Metropolitarum*. Figura, nudum virum, ad Genii urbis Tarſenſis pedes proſtratum, referens, Cydnum, celebrem, et maximum Ciliciae fluvium, deſignat. Cydnus ſiquidem per mediam Tarſum labebatur, uti teſtantur *Strabo Lib. XIV. Mela Lib. I.*

H *Cap.*

Cap. XIII. *Plinius Lib. V. Cap.* XXVII. *Arrianus Lib. II.* Verba apponam *Dionysii Periegetae versu* 868.

Κύδνȣ τε σκολιοῖο μέσην διὰ Ταρσὸν ἰόντος

Cydnus obliquo meatu mediam Tarsum transit.

NVMVS SINOPENSIVM

TABVLA V.

Caput, quantum adparet, laureatum, et barbatum; penes vultum sceptrum prominet: sine epigraphe.

ΣΙΝΩ. Σινώπης. vel Σινωπέων. *Sinopes*, vel *Sinopensium*. Vir, currenti, et phalearato equo insidens; dextra telum vibrans. Caput galea munitum. Aeneus parvi moduli. Tab. V. num. XXXIX.

Equitis armati figura, fortasse Mithridates Eupator, Ponti Rex, repraesentatur, qui, cum bellis adversum Romanos gestis inclaruerit, hastam dextra librans non male effingeretur. Ostendit autem numus noster magnae sanae vetustatis indicia: atque Sinope erat splendidissima Mithridatis Regia. Id quidem cum ex M. Tullii verbis,

bis, ad numum Amisenum productis; tum ex *Diodoro Siculo Lib. XIV.* docemur, qui ita de Sinope: Εν ᾗ δὴ καθ' ἡμᾶς ἔσχε Μιθριδάτης, ὁ πρὸς Ρωμαίους διαπολεμήσας, τὰ μέγιστα βασίλεια. *Qua in urbe Mithridates, qui in Romanos arma moverat, nostra aetate maximam aulam regiam habuit.*

Caput barbatum, ac laureatum Iovem Sinopensem exhibet, apud antiquos Scriptores celebrem. Mitto heic, quae de Sinope, Nympha aliis, aliis Amazone, Graeci iuxta, atque Latini Poëtae cecinere, quae integram ab Iove proco virginitatem fraude abstulerit. *Taciti* verba de Iove Sinopensi adferre libet, qui Sinopensi ex urbe Iovis simulacrum Alexandriam in Aegyptum delatum perhibens, haec adiungit, *Lib. IV. Histor.* sub finem: *Deum ipsum multi Aesculapium, quod medeatur aegrotis corporibus; quidam Osirim, antiquissimum illis gentibus Numen; plerique Iovem, ut rerum omnium potentem; plurimi Ditem Patrem —— coniectant.* Iovi Sinopensi varias, cum variis nominibus, virtutes Veteres tribuere; sub quo velo aut rerum Naturam, aut ipsum potius Deum latitantem, et obscure nimis cognitum, coluere. Praeterire heic non possum egregiam inscriptionem antiquam, ad illustranda modo dicta oportunam, quam Colle-

gae cuidam meo in Oriente, cum aliis inſcriptionibus, ab ſe collectis, deſcriptam dedit Doctiſſimus Dominus de Bohn. Scriptum illud, quod propria manu videtur exaraſſe Bohnius, titulum hunc praefert: *Inſcriptions Grecques et Latines recueilies en differens endroits voiſins de la Propontide, et de l' Helleſpont, par G. I. de Bohn.* Vltima ex his inſcriptionibus, in Inſula Chio reperta, de Iove agit; ita tamen male ſcripta comparet, ut neceſſarium duxerim, primum eam repraeſentare, uti accepi, quam vide *Tab. VI.* deinde meas emendationes, ſupplementa, et interpunctiones adhibere. Id an feliciter praeſtiterim, periti iudicent. Ita legendam inſcriptionem cenſeo.

ΑΓΑΘΗΙ. ΤΥΧΗΙ.

ΟΥΡΑΝΙΩΝ. ΠΑΝΤΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΥ. ΧΑΙΡΕ. ΑΦΘΙΤ. ΑΝΟΥΒΙ.

ΣΟΣΤΕ. ΠΑΤΗΡ. ΧΡΥΣΟΣΤΕΦΑΝΟΣ. ΠΟΛΥΣΕΜΝΟΣ. ΟΣΕΙΡΙΣ.

ΑΥΤΟΣ. ΖΕΥΣ. ΚΡΟΝΙΔΗΣ. ΑΥΤΟΣ. ΜΕΓΑΣ. ΟΒΡΙΜΟΣ. ΑΜΩΝ.

ΟΥΡΑΝΟΣ. ΑΘΑΝΑΤΩΝ. ΠΡΟΤΕΠΗΝΗ-ΤΑΙ. ΣΕ. ΣΑΡΑΠΙΣ.

ΣΗ.

ΑΓΑΘΗΙΤΥΧΗΙ

ΟΥΓΑΝΙΟΝΠΑΜΓΟΜΒΑΣΙΛΕΥΧΑΙΡΕΑΦΘΙΓΑΝΟΥ
ΣΟΣΤΕΠΑΤΗΡΧΡΥΣΤΕ[illegible]ΑΝΟΣΠΟΛΥΣΓΝΝΟΣΟΣΕΙΡ
ΑΥΤΟΣΖΕΥΣΚΡΟΝΙΔΗΣΑΥΤΟΣΜΕΓΑΣΟΒΡΙΜΟΣΑΜο
ΟΙΡΑΝΟΣΑΘΑΝΛΤΩΝΠΡΟΤΕΠΝΗΤΑΙΣΕΣΑΡΑΠΙΣ
ΣΗΤΕΜΑΚΑΙΡΑΘΕΔΜΗΤΗΡ[illegible]ΟΛΥΩΗΥΜΟΣΙΣΙΣ
ΗΝΤΕΚΕΝΟΥΡΑΝΟΣΕΥΦΡΝΙΔΗΣΕΠΙΚΥΜΑΣΙΠΟΝΤ
ΜΑΡΜΑΡΕΟΙΣΟΡΕ+ΕΝΔΕΡΕΒΟΣΦΩΣΠΑΣΙΒΡΟΤΟΙΣΙ
Π[illegible]ΕΣΒΙΣΤΗΝΜΑΚΡΟΝΟΛΥΜΠΩΣΚΗΠΤΡΟΝΕΧΟΥΣ
ΚΑ[illegible]ΑΙΗΣΠΑΣΗΣΚ[illegible]ΙΠΟΝΤΟΥΔΙΑΝΑΝ

Tab. VI. post pag. Ultimam
116

ΣΗ. ΤΕ. ΜΑΚΑΙΡΑ. ΘΕΑ. ΜΗΤΗΡ. ΠΟΛΥΩ-
ΝΥΜΟΣ. ΙΣΙΣ.

ΗΝ. ΤΕΚΕΝ. ΟΥΡΑΝΟΣ. ΕΥΦΡΑΝΙΔΗΣ.
ΕΠΙ. ΚΥΜΑΣΙ. ΠΟΝΤΟΥ.

ΜΑΡΜΑΡΕΟΙΣ. ΟΡΕΧΕΝ. Δ. ΕΡΕΒΟΣ. ΦΩΣ·
ΠΑΣΙ. ΒΡΟΤΟΙΣΙ.

ΠΡΕΣΒΙΣ. ΤΗΝ. ΜΑΚΡΟΝ. ΟΛΥΜΠΩ.
ΣΚΗΠΤΡΟΝ. ΕΧΟΥΣΑΝ.

ΚΑΙ. ΓΑΙΗΣ. ΠΑΣΗΣ. ΚΑΙ. ΠΟΝΤΟΥ. ΔΙΑΝ.
ΑΝΑΣΣΑΝ.

Bonae Fortunae.

*CAeleſtium omnium Rex, Salve, incorruptibilis Anubi! Tuus Pater eſt, aurea corona redimitus, multum venerandus Oſiris: Idem Iupiter, Saturni Filius, idem magnus, et robuſtus Hamon: Caelum prae omnibus Immortalibus Te celebravit, O Sarapi! Tua Mater eſt beata Dea, multis nominibus gaudens, Iſis. Quam genuit Caelum laeta facie in fluctibus Ponti rutilantibus: ipſi vero Inferi deſiderabant lumen: omnibus hominibus Tu Advocata, Te, quae magnum in Olympo ſceptrum geris: et Terrae omnis, et Ponti divam Reginam co*limus.

Anu-

Anubin, qui Aegyptiorum erat Mercurius, Osiridis, Isidisque filium fuisse ex *Diodoro Lib. I.* colligitur. Illud mirum: *Caelestium Regem* appellari Anubin. Fortasse τὸ ὀυρανίων, motus *orbium caelestium* indicat. Penultimo versu, qui loco *Advocata*, vertere volet: *legati munere fungeris*, me non invito fecerit.



MAN-

MANTISSA
NVMISMATVM
RARISSIMORVM
ET ANTEA NVNQVAM EDITORVM
PRAECIPVE
EX CIMELIARCHIO REGIO CAESAREO
VINDOBONENSI
QVAE A CL. VIRO
P. ERASMO FROELICH
SOCIETATIS IESV
ACCVRATE DESCRIPTA ATQVE INLVSTRATA SVNT



REVERENDISSIMO

AC

CELEBERRIMO DOMINO

ANTONIO FRANCISCO GORIO

BAPTISTERII FLOR. PRAEPOSITO

IN ACADEMIA PVBLICO PROFESSORI

ERASMVS FROELICH S. I.




Eniam dabis, VIR REVERENDISSIME, *tanto tempore cessanti: alia ex aliis me impediere negotiola. Communico tecum* NVMISMATA *quinque rarissima, et plane singularia. His addidi notulas aliquas, quas*

Tu

Tu audenter corrige, auge, imminue, ubi optimum factu videbitur. Adiunxi etiam NVMISMATA *quaedam aurea* CIMELII REGIO-CAESAREI, *quae, inter ordinandi labores, raptim descripsi; puto tamen accurate. Quinque illa priora Numismata Trevoltiensis Diarii Scriptoribus Iesuitis itidem miseram. Teneo Syllabum Numismatum anecdotorum ex auro et argento Imperatorum Romanorum, e Cimelio Domini* DE FRANCE, *de quo alias. Vale,* VIR REVERENDISSIME, *et Bono Rei Antiquariae nate; vale inquam, et me esse patere tuum.*

Viennae A. D. XI. Martii MDCCL.



NVMISMATA RARISSIMA

NVNC PRIMVM EDITA



NVMISMA PRIMVM

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS IMP. VII. P. M. *Caput Tiberi nudum.*

DIVVS. AVG. IMPER. OCTAVIA. *Capita adversa, Augusti nudum, astro imposito, et Octaviae, lunula imposita.*

Argenteum maximi moduli.

HOc Numisma Dominus DV-VAL, Imperatoris Augusti Bibliothecarius Florentiae, vir omni ex parte laudatissimus, in Italia emerat: FRANCISCVS IMP. AVGVSTVS redemtum Cimeliarchio Aulae Austriacae intulit.

OCTAVIAE numisma, et cum eiusdem adscripto nomine, vulgatum fuisse non memini; huius inquam Octaviae sororis Augusti.

Seguinus *pag.* 95. *edit. Paris.* 1665. nu-

numiſma aeneum exhibet, in quo iunctis *M. Antonii*, et *Caeſaris Octaviani* capitibus, oppoſitum eſt caput mulieris, quod *Octaviae*, docte, ut ſolet, coniectura tribuit; ſed noſtri numi vultus, et ornatus capitis abludit. Spanhemius *de praeſt. et uſu Num.* Tom, II. pag. 276. Numiſma ſe vidiſſe meminit, quod hinc caput Auguſti, inde M. Antonii, et Octaviae, ut credebat, exhibuit. Inter Numiſmata aerea ſelectiora maximi moduli Muſei Piſani extitat Tab. III. num. II. caput M. Antonii iugatum alteri virili; quibus opponitur caput feminae, quod Vaillantius Cleopatrae; Doctiſſimus Abbas Albertus Mazzolenus Octaviae tribuit. Ornamenta colli gemmae, aliaque in imagine expreſſa, Romanae matronae minus convenire videntur; ſi Numiſmata Auguſtarum conſulamus, cum iſtius, tum ſequentium duorum ſaeculorum. Sed de Octavia ipſa pauca videamus.

Conſtat Svetonio auctore in Octav. Cap. I. pag. 115. edit. Graevii, M. Attium Balbum, patria Aricinum, e Iulia, C. Iulii Caeſaris ſorore, filiam ſuſtuliſſe Attiam: ea primum nupſit L. Marcio Philippo, deinde C. Octavio. Porro C. Octavius e priore uxore Ancharia Octaviam genuit ſeniorem: ex altera uxore

Attia

Attia Octaviam Iuniorem, et C. Octavium deinde Augustum. Plutarchus in Antonio adserit, Octaviam M. Antonii, et antea C. Marcelli uxorem, fuisse natu maiorem, et non uterinam Caesaris Octaviani sororem. At Glandorpius in *Onomastico* Hist. *Rom.* pag. 86. et 87. e Philippica III. Ciceronis, et Dione Lib. XI.. contendit, Octaviam Iuniorem, uterinam Augusti sororem, M. Antonio, et antea Marcello collocatam fuisse. Sane Cicero Aricinam (Attiam intelligit) L. Philippo, et Aricinae filiam, sane non aliam, quam Attiae filiam, Octaviam Iuniorem, C. Marcello nuptam testatur; quae eadem Octavia citra dubium M. Antonii coniux erat.

Huius itaque OCTAV AE, uterinae Augustae sororis memoriam una cum Augusto instauravit hoc numismate Tiberius. Profecto meruit id Octavia illa suis virtutibus, quae viro suo M. Antonio, etsi Cleopatrae probroso amore insanienti, fidelem se, piam, ac beneficam praebuit, ut eandem σκῆμα θαυμαστὸν γυναικός, adpellarit Plutarchus. Eidem Octaviae Augustus ipse vivae praecipua officia praestitit: defunctae honores maximos tribuit, Suetonio teste. Athenienses Octaviae, apud se degenti, honores egregios detulerunt;

mor-

mortuae Corinthii templum prope Forum exſtruxerunt, uti refert Pauſanias Lib. II. pag. 89. edit. Wechel.

NVMISMA SECVNDVM.

D. N. MARCIANVS. P. F. AVG. Protome Marciani, capite galeato; dextra haſtam ſupra humerum, ſiniſtra ſcutum.

FELICITER NVPTIIS (ſic). Infra: CON. OB. Marcianus et Pulcheria ſtantes dextras iungunt; medius adſtat Sacerdos, ſtola ſacra ornatus: ſingulorum trium caput nimbus ambit.

Aureum, mole ſolita horum temporum, in Cimelio Perill. Domini De France, Praefecti Theſaurorum THERESIAE *Auguſtae Imperatricis, et Reginae.*

In huius numiſmatis averſa parte notatu digna ſunt, Formula ipſa, Orthographia, figurae Nimbi ornamentum; quod ſeu ad ſanctitatis, vel maieſtatis indicium pertineat, utrumque probe convenit Auguſtis et virgineis MARCIANI et PVLCHERIAE Nuptiis, quibus Anatolius tum novae Romae Patriarcha adſtitiſſe videtur.

Iuvat haec omnia Zonarae verbis complecti: *Theodoſio mortuo; ſed eius obitu*

paucis

paucis cognito, Pulcheria Marcianum adcersit senem iam, sed virum bonum, et Imperatoris morte indicata; Te, inquit, prae ceteris omnibus Imperatorem elegi, si fidem dederis, te virginitatem meam, quam consecravi Deo, intactam conservaturum. Adsensum illum, Patriarcha et Senatu adcersitis, Imperatorem salutat, et diademate cingit. Zonaras Lib. XIII. *Annal. Cap.* XXIV. *et* XXV. MARCIANI et PVLCHERIAE praeclara de Imperio, et Ecclesia merita notiora sunt, quam ut heic elogio egeant: abunde habentur eiusmodi apud Zonaram citato loco. In Codice Theodos. et Iust. in Actis Consilii Chalcedon. apud Evagrium Histor. Eccles. Lib. II. etc.

NVMISMA TERTIVM.

ΘΕΟΔΩ. ΑVΓΟV. *Theodora Augusta.*

Protome THEODORAE gemmis undequaque ornatae, cum scepto gemmato; sinistra globum. IC. XC. Protome Christi Servatoris, capite nimbo cincto, sinistra librum gerentis. *Aureum mediocris molis* in Cimelio Domini DE FRANCE.

Hoc THEODORAE numisma alteri non convenire quam Theodorae Constantini VII. et Helenae filiae, et famosae

illius

illius Zoës sorori, vel ex eo colligo, quod Theodora nulla Imperio Orientis *sola* praefuerit. Sane Theodorae Constantii Chlori uxori, nec numi ratio, neque vestitus congruit. Theodora Iustiniani II. etsi *Augusta* adpellata sit, de reliquo tamen obscura eius vita.

Theodora Theophili uxor, mater Michaëlis, Constantini, et Theclae etc. non comparet ΔΕCΠΟΙΝΗC titulo; quod sola nunquam rerum potita sit. THEODORA nostra primum cum Zoë sorore imperavit; qua de re duo apud Bandurium, sed suspectae fidei, exstant numismata; quia e Strada exscipta. Denique exstincto Constantino VIII. Monomacho, sola THEODORA anno uno, et menses fere novem imperavit; nempe anno Aerae Christi MLV. et sequente. De hac Augusta consuli possunt Zonaras Lib. XVII. et Cedrenus, qui multa; Glycas, qui pauca refert.

Itaque THEODORA isthaec et sola, et Augustae titulo, et stemmate, gemmisque ornata comparet in auro; quod signatum censeo anno MLV. vel sequente. Laudatum fuerat, prae multis viris, huius THEODORAE imperium, quae *Porphyrogenita* dicta est; quod Imperatorem Patrem nacta sit. Extremo morbo Imperatorem nominavit Michaëlem Aratioticum,

se-

ſenem decrepitum. *Conſtantinus Manas*.

NVMISMA QVARTVM

. . . . . ΘЄΟΔΩΡ. Videtur legendum OKЄ ΒΟΗΘΕΙ ΘЄΟΔΩΡΩ. *Chriſte ſuccurre Theodoro*. Crux media inter duas protomas; quarum altera Deiparam refert: caput nimbo cinctum: altera THEODORVM, ſtemmate crucigero coronatum: dextro numiſmatis loco Ω ΘЄΟΔΩΡΟC. ΔЄCΠΟΤΗC. Ο. ΔΟΥΚΑC. Hoc ſolum in area averſae partis: *Theodorus Deſpota Ducas*.

Aeneum parvi moduli in Cimelio Collegii Regii Thereſiani Nobilium: dono mihi miſſum a Viro Celeberrimo Domino Apoſtolo Zeno.

Duos invenio THEODOROS, de quibus lis eſſe poteſt, utri adſcribendum ſit hoc numiſma. Conſtantinopoli a Latinis anno MCCIV. magna iam ex parte capta, et Alexio Duca Murzuphlo ex urbe elapſo, duo Theodori, Laſcaris alter, alter Ducas, imperium captabant, laudati ambo. Theodorus Laſcaris a Clero praelatus, Nicaeae in Bithynia imperium auſpicatus eſt. De Theodoro Duca nihil porro invenio. *Nicetas in Murzuphlo*. *Num.* 11. *Niceph. Gregoras* Lib. I. Cap. 2.

Hunc THEODORVM Ducam Deſpotae

 ti-

titulo usum fuisse vix dubito; quod Ducarum e familia esset, e qua Alexius Marzuphlas: tum etiam, quod par Theodoro Lascari Candidatus pro Imperio fuisset. Attamen cum de hoc Theodoro Duca nihil certi constet, alium quaeremus, cui numisma fortasse tribuatur. Theodoro Lascari in imperio successit Ioannes, familia Vatazes, sed cognomento *Ducas*, quod a materna stirpe assumpsit; quae res apud Orientis Imperatores non erat insolita. Ioanni Vatazi, seu Ducae patri, successit *Theodorus* filius, quem *Nicephorus Gregoras* Lib. III. Cap I. *Lascarem* compellat, nempe a matre Irene Theodori Lascaris filia. *Lascaris* item cognomine hunc Theodorum afficit *Georgius Pachymeres* Lib. I. Histor. Cap. VII. Verum *Georgius Acropolites* in Chron. Theodorum tantum nominat. Hunc Theodorum, vivente saltem patre, *Ducae* cognomen sumpsisse probabile est, quum pater eo sit gavisus. Porro Theodorum isthunc dum pater moreretur, iam triginta tres annos natum, saltem *Despotae* titulo insignem fuisse, nullus dubito. Tametsi enim *Gregoras* Lib. III. Cap. I. disserte memoret, Theodorum a Patre Ioanne dum viveret, non fuisse renunciatum Βασιλεα, seu Imperii consortem; id tamen nullo modo conficit,

cit, filium adeo grandem natu, ne Despotam quidem appellatum esse; qui honos eadem aetate multis aliis obtigerat.

Itaque Numus noster signatus dici potest vivente Ioanne THEODORI patre, quum Theodorus etiam *Ducas*, uti pater, appellaretur; nec nisi Despotae dignatione insignis esset. At enim quando hunc Theodorum nemo Ducam; contra vero duo Scriptores *Lascarem* appellant, neque de *Despotae* titulo certo constat; malim priori illi Theodoro Ducae, Theodori Lascaris aemulo, Numum nostrum adscribere; tametsi nihil obsit, quin idem *Theodorus* et Lascaris, et Ducas compellaretur: uti *Leo Allatius de Simeonibus*, Theodori *Lascaris Ducae* meminit, qui Elogium S. Tryphonis Martyris conscripsit. Eruditi Lectoris arbitrium esto.

NVMISMA QVINCTVM.

T. GRACCHVS. Caput Tiberii Gracchi imberbe et nudum.

AGRARI. Ita inscriptum basi, sive suggestui, cui insistit Gracchus togatus, dextra elata, sinistra baculum gerens: eius vultui Solis radiantis orbis opponitur.

tur. Thorax, aliaque arma humi posita. *Argenteus quinarius : in Cimelio Augustae Imperatricis et Reginae.*

Res ipsa loquitur, hunc numum signatum esse in memoriam celeberrimi illius TIBERII SEMPRONII GRACCHI, Tribuni Plebis, qui Agrariam legem a Licinio Stolone latam, ne quis Civium agrum possideret quingentis iugeribus ampliorem, anno V. C. DCXX. instauravit, atque adversus opulentiorum machinas summa contentione propugnavit. Repraesentatur hic GRACCHVS e superiore loco pro lege Agraria declamans, quod eum persaepe acerrimeque fecisse, atque violentiae metu baculum gestasse, cuius cavo, veluti vagina, gladius occultatur, *Plutarchus in Gracchis* prodidit. Arma humi posita seditiones inde enatas designant. Solis imago, quoniam diversis significationibus obnoxia est, cuiusvis ingenio relinquitur. Si ex Historia ipsa coniecturam capere licet, adludi poterat ad mortem Attali III. et postremi Pergami Regis, qui moriens Populum Romanum heredem scripsit. GRACCHVS Attali opes ad redimendos ab opulentis agros, pauperesque iuvandos impendendas esse, nova lege sanxit, eaque re tumultus auxit. Porro Attalum Regem, dum operas ad perficien-

dum

dum matris sepulcrum, assidue urgebat; ardentibus *Solis* radiis prostratum periisse, memorat Iustinus Lib. XXXVI. Cap. 4.

Quinarius iste a peritis Antiquariis vere antiquus est habitus, et mihi quoque talis videtur. Vnum, quod me angit, est, τὸ T loco TI. cum T. *Titum*; TI vero *Tiberium* notet. Sempronii Gracchi, in Historia celebres, omnes praenomine *Tiberii*, vel *Publii*, vel *Caii* fuere; nemo *Titi*, si Numos, Fastos, et meliores veterum editiones consulamus. Fortasse hic quinarius non in moneta publica; sed clam percussus est, dum Iulius Caesar legem Agrariam primo Consulatu tulit.



NV-

NVMISMATA QVAEDAM AVREA DECLINANTIS IMPERI

IN BANDVRIANO OPERE NON DESCRIPTA

E Cimeliarchio Regio Caesareo Vindobonensi

1.

GALLIENVS AVG. Caput laureatum, longis praeter morem foliis.

P. M. TR. P. III. COS. PP. Gallienus paludatus stans inter duas iacentes figuras Fluviorum, qui ex urnis aquas effundunt: ipse dextra hastam; sinistra parazonium gerit.

2.

GALLIENVS AVG. Caput cum corona radiata.

S. P. Q. R. Leo gradiens, cuius tergo Aquila insistit: omnia intra lauream coronam.

3.

AVRELIANI Numisma, cuius in aversa parte.

IVCTORIA AVG. loco VICTORIA.

4.

VIRTVS. FLORIANI AVG. Protome eius galeata.

PERPETVITATE. (sic) AVG. Mulier stans, d. globum, s. hastam transversam: cubito sinistro columnae innititur.

5.

VIRTVS. FLORIANI. AVG. Protome eiusdem galeata.

VIRTVS AVG. Mars gradiens; captivus ad pedes.

6.

IMP. C. M. AVR. PROBVS AVG. Caput laureatum.

VICTORIAE AVGG. Victoria bigas agitans.

7.

MAXIMIANVS. P. F. AVG. Caput laureatum Valerii Maximiani.

FELIX. INGRESS. SEN. AVG. Roma sedens, in cuius scuto VOT. XXX.

8.

SEVERVS. NOB. CAES. Caput laureatum Severi.

PRINCIPI IVVENTVTIS. infra SMSP.

Ipse

Ipſe ſtans paludatus, d. haſtam; prope ſiniſtram duo ſigna militaria humi fixa.

9.

Eadem Inſcriptio : idem Caput.

FELICITAS. CAESS. NOSTR. Infra A Q. Mulier ſedens, d. caduceum, s. cornu copiae.

10.

IMP. LICINIVS. P. F. AVG. Caput Licinii Patris laureatum. SECVRITAS AVGG. Infra SIS. Licinius in quadriga, d. ramum.

11.

CONSTANTINVS P. F. AVG. Caput laureatum Conſtantini Magni.

VICTORIBVS. AVGG. NN. Victoria adverſo vultu ſtans; utraque manu ſcutum ante pectus tenet, cui inſcriptum:

X

X X

Infra P. T. R.

CA-

CATALOGVS NVMORVM AVREORVM AVGVSTALIVM

QVI IN VAILLANTIO ET BANDVRIO DESIDERANTVR

E CIMELIO D. IOSEPHI DE FRANCE



1.

CAESAR. DICT. PERPETVO. Caput laureatum Iulii Caesaris.

L. BVCA. Orbis, securis, manus dexterae iunctae, fasces, caduceus.

2.

DIVVS. IVLIVS. Caput laureatum eiusdem. Crinitum sidus *tantum*.

3.

AVGVSTVS. Caput nudum Octaviani. Sphinx residens in pedes posteriores *tantum*.

4.

C. CAESAR. IIIVIR. R. P. C. Caput nudum eiusdem.

L. REGVLVS. IIIVIR A. P. F. Aeneas Anchisem portans super humeros.

K 5.

5.

GALBA. IMP. Caput laureatum globo impoſitum.

BON. EVEN. *Bonus Eventus*. Vir nudus ſtans d. pateram, s. ſpicas et papaver.

6.

DIVVS. TITVS. Caput laureatum.

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. PP. REST. Fulmen arae impoſitum.

7.

IVLIA. AVGVSTA. TITI. AVG. F. Caput Iuliae.

VENVS AVGVSTA. Venus ſtans, d. pomum s. haſtam, columnae innixa.

8.

P. SEPTIMIVS. GETA. CAES. Caput nudum.

PONTIF. COS. II. Minerva galeata ſedens; d. ſerpentem partim arbori circumvolutum: s. ſcuto innititur.

9.

P. SEPT. GETA. PIVS. AVG. BRIT. Caput laureatum.

TR. P. III. COS. II. P. P. Geta paludatus ſtans; d. parazonium; s. haſtam: dextro pede hoſtem calcat humi abiectum.

10

M. OPEL. SEV. MACRINVS. AVG. Caput laureatum.

COS. II. Victoria gradiens: d. sertum; s. palmam.

11

IVLIA. MAMAEA. AVG. Caput eius.

FELICITAS. PVBLICA. Mulier ſtans; d. caduceum; s. columnae innixa.

12

IMP. PHILIPPVS. AVG. Caput laureatum Patris.

MARCIA. OTACIL. SEVERA. AVG. Caput eius.

13

IMP. AEMILIANVS. PIVS. FEL. AVG. Caput cum corona radiata.

ERCVLI. VICTORI. (*ſic*) Hercules nudus ſtans: d. clavam; s. arcum cum ſagitta, et exuvias leonis.

14

IMP. GALLIENVS. AVG. COS. II. Caput laureatum.

VIRT. GALLIENI. AVG. Hercules nudus ſtans: d. ramum; s. clavam, et exuvias leonis. Maioris moduli, appendit aureos Hungar. 3. ½.

15

15

IMP. C. POSTVMVS. P. F. AVG. Caput laureatum.

AETERNITAS AVG. Hercules ſtans coronat Poſtumum paludatum ſtantem : s. clavam et, exuvias Leonis.

16

IMP. C. M. CL. TACITVS P, AVG. Caput laureatum.

CONSERVATOR. AVG. Caſtor nudus ſtans : d. equum fraeno tenet ; s. haſtam.

17

IMP. C. M. AVR. PROBVS. P. F. AVG. Caput radiatum.

FIDES. MILITVM. Mulier ſtans, quae utraque manu ſignum militare tenet.

18

Eadem Inſcriptio : Protome galeata cum ſcuto et telo.

P. M. TRI. P. COS. III. Proceſſus Probi cum quadrigis ; d. ſceptrum cum aquila.

19

VIRTVS. PROBI. AVG. Caput galeatum. Averſa pars eadem, quae praecedentis.

20

IMP. PROBVS. AVG. Protome laureati cum hasta.

VICTORIOSO SEMPER. Probo, d. fasciculum, s. sceptrum gerenti supplicant quatuor figurae: duae flexis genibus; duae stantes: inferius corona.

21

IMP. PROBVS. P. F. AVG. Protome laureati cum telo.

VIRTVS. AVG. Probus sedet; s. sceptrum gerit: ei mulier galeata stans globum porrigens, s. hastam tenet: a tergo Probi Victoria stans, s. ramum palmae praefert: hinc Milites stantes: infra corona.

22

MAGNIA. VRBICA. Caput eius.

PVDICITIA. AVG. Mulier sedens: d. vultui velum obducit; s. hastam transversam tenet.

23

IMP. C. M. AVR. CARINVS. NOB. C. Caput laureatum.

VICTORIA. AVGG. Victoria stans coronat Carinum stantem, qui dextram dat duabus figuris genu flectentibus. Infra asteriscus.

24

M. AVR. NVMERIANVS. NOB. C. Caput laureatum.

PRINCIPI. IVVENT. Caesar ſtans; dextra ramum, ſiniſtra haſtam tenet.

25

DIOCLETIANVS. AVGVSTVS. Caput laureatum.

COMITATVS. AVGG. Duo Auguſti in equis, dextra elata: ſiniſtra haſtam, vel ſceptrum gerunt.

26

Eadem Inſcriptio. Caput Diocletiani.

COS. IIII. Imperator eques, dextra elata.

27

DIOCLETIANVS P. AVG. Caput laureatum.

IOVI VICTORI. Iupiter ſtans: dextra fulmen torquet in Captivum, quem ſiniſtra protrudit.

28

CONSTANTIVS. P. F. AVG. Caput laureatum Chlori.

CONSVL. AVGG. NN. Ipſe togatus ſtat: d. globum: in area B. infra SMSD.

29

CONSTANTIVS. NOB. CAES. Caput laureatum Chlori.

CONSVL. CAESS. Ipſe ſtans, d. globum: in area ✠ infra T.

30

CONSTANTIVS P. F. AVG. Caput laureatum Chlori.

IOVI. CONSERVATORI. AVGG. NN. Iupiter ſeminudus ſtans: d. fulmen; s. haſtam: infra AQ.

31

CONSTANTIVS. NOB. C. Caput laureatum Chlori.

HERCVLI. COMITI. AVGG. ET. CAESS. NN. Hercules ſtans d. clavam. s. caput humanum, et exuvias leonis.

32

CONSTANTIVS. NOB. C. Caput laureatum Chlori.

VIRTVS. AVGG. Vir nudus (fortaſſe Hercules) cervum cornibus prehenſum ſternit: infra TR.

33

FL. HELENA. AVGVSTA. Caput diademate cinctum.

SE-

SECVRITAS. REI. PVBLICAE. Figura galeata ltans; d. ramum protendit; infra SMT. Bandurius ſimile Numiſma, ut ſingulare ex Mediobarbo profert; ſed in eo eit infra ſcriptum STR.

34

SEVERVS. AVGVST. Caput laureatum.

CONCORDIA. AVG. ET. CAES. Mulier tutulata ſtans: d. pateram; s. haſtam. In area B. infra ALE.

35

MAXIMIANVS. NOB. CAES. Caput laureatum Galerii Maximiani.

CONSVL. CAESS. Caeſar togatus ſtans: d. globum; s. ſceptrum. In area Z. infra TS.

36

MAXIMINVS. NOB. CAES. Caput laureatum.

FELICITAS. SAECVLI. CAESS. NN. Duae Victoriae tenent coronam; in qua VIC. CAESS. Infra SMAQ.

37

LICINIVS. P. F. AVG. Caput laureatum Patris.

CONSVL. PP. PROCONSVL. Ipſe ſtat togatus: d. globum: In area $\overset{*}{C}$ I S
Infra ANT. IN

38

CONSTANTINVS P. F. AVG. Caput laureatum.

RESTITVTORI. LIBERTATIS. Roma ſedens; d. globum porrigit Conſtantino M. adſtanti: s. haſtam tenenti. Infra SMT.

39

Eadem Inſcriptio; et Caput Conſtantini M.

SIC. X. SIC. XX. Infra SMHB. omnia intra Coronam quadruplicatam; ſupra eam Aquila.

40

FL. IVL. CRISPVS. NOB. C. Protome Criſpi laureata: d. globum cum Victoriola.

VICTOR. OMNIVM. GEN. (*Litterae ſunt inverſe ſcalptae*) Mars nudus gradiens: d. haſtam; s. tropaeum: intra duos Captivos humi ſedentes: Infra PTP.

41

CONSTANTINVS. IVN. NOB. C. Protome eius diademate ornata: d. globum cum Victoriola.

FELIX. PROCESSVS. COS. II. AVG. Caesar togatus ſtans; d. globum; s. ſceptrum: Infra SIRM.

42

FL. IVL. CONSTANTIVS. P. F. AVG. Caput diademate revinctum.

FELICITAS. ROMANORVM. Et intra lauream coronam: VOTIS. MVLTIS. XX. Infra SMANZ.

43

CONSTANTIVS. AVGVSTVS. Caput diademate ornatum.

VICTORIAE. DD. NN. AVGG. Duae Victoriae ſtantes clypeum tenent, in quo VOT. XX. MVLT. XXX. Infra SIS. et duo ramuſculi: *Maximi moduli; adpendit aureos* 5. $\frac{3}{4}$.

44

FL. MAGNENTIVS. TR. . . . P. F. AVG. Caput nudum.

RESTITVTOR LIBERTATIS. Caeſar ſtans paludatus: d. Victoriolam; s. labarum, in quo ☧. Infra SMAQ.

45

D. N. GRATIANVS. P. F. AVG. Caput diademate cinctum.

PRIN-

PRINCIPIVM. IVVENTVTIS. Ipſe ſtans, caput nimbo cinctus, paludatuſque: d. haſtam; s. globum: infra CONS. et hinc aſteriſcus, inde ſertum. *Digna notatu Inſcriptio, et nimbus in capite.*

46

D. N. VALENS. P. F. AVG. Caput revinctum diademate.

VIRTVS. ROMANORVM. Duo Augusti paludati ſtant; altera manu haſtam, altera globum ſimul tenent cum Victoria, quae ambos coronat. Infra CONS. et duo ramuſculi.

47

D. N. THEODOSIVS. P. F. AVG. Caput cum diademate.

VICTORIA AVGG. Victoria ſtans ſcribit in ſcuto: XX. XXX. In area Crux et aſtrum: infra CONOB.

48

Similis Numus. Ibidem parvi moduli: Sed Victoria in ſcuto ſcribit †

49

D. N. ARCADIVS. P. F. AVG. Protome galeati, cum clypeo et haſta.

NOVA. SPES. REI. PVBLICAE. Victoria

ctoria sedens, scribit in clypeo XX . XXX. In area asteriscus : infra CONOB.

50

D. N. MARCIANVS. P. F. AVG. Protome galeati, cum clypeo et hasta.

FELICITER. NVBTIIS. Marcianus et Pulcheria sponsi stantes dextras iungunt, adstante in medio Sacerdote stolato. Singula trium capita nimbus ambit. Infra CON. OB. *Singularis est numus*, *et plane elegans*, *de quo superius quae adnotata sunt* *pag.* 126. *vide*. Corrige, ut dicat NVBTIIS.

51

. . . . O. LEON. PP. A. Protome Leonis Sapientis diademati cum Cruce ; d. globum Crucigerum.

52

CON SN. P.P. *Constantinus Perpetuus Aug*. Protome Constantini Porphyrogeniti: d. Crucem. *Parvi moduli*.

53

Heracli Numisma adest maximi, et plane enormis moduli ; in quo Heraclius curru quatuor equis iuncto vehitur: simile est illi, sed non idem, quod P. Bandurius profert. Appendit viginti aureos. Sed de anti-

antiquitate, tametsi leviter, suspectum sit; indicandum saltem duxi: describendum non item.

54

ΘεΟΔΩ. . . VΓΟVS. Protome Theodorae Filiae Constantini VII. gemmis onerata, d. sceptrum gemmatum; s. globum Crucigerum gerit.

ΙC̄. X̄C̄ Protome Iesu Christi capite nimbo cincti: s. Librum. Singularis est, de quo seorsim actum superius: corrige pag. 127. ubi pro AVΓΟV. scr. VΓΟVS.

55

NIKH†OP. KAI. BACIΛ. AVΓ. B.P. *Nicephorus et Basilius Augusti Perpetui*. Amborum Protomae diademate ornatae cum Cruce: simul Crucem duplam tenent.

† IHS. XS. REX. REGNANTIUM. Protome Iesu Christi cum Libro.

56

† ΘεΟFILOS. BASILE. Caput diademate cintum cum Cruce: d. tenent duplam Crucem.

57

MICHAEL. Z CONSANZIN.

Duae Protomae Crucigero diademate ornatae. In area Crux.

58

58

† CONSTANTINOS . ΔOUKAS.

Protomae cum diademate Crucigero: d. ſceptrum cum Cruce: s. globum cum Cruce.

IC . XC. Protome Chriſti.

59

† CONSTANTINOS. O. ΔOUKAS. Ducae ſtanti adſtat a ſiniſtris Deipara, caput nimbo cincta; quae dextram benedicentis more levat. In area:

M . Θ. *Mater Dei.*

60

† IHS. XPS. REX. REGNANTIUM. Chriſtus, caput nimbo cinctus, in throno ſedens; s. Librum. *Concavus Numus.*

61

Eadem utrinque Inſcriptio: Ducas ſtans: d. labarum; s. globum cum Cruce, capite diademato cum Cruce. *Numus concavus.*

62

KωN . MIX . ANΔ. *Conſtantinus, Michaël, Andronicus.* Tres ſtantes ſupra ſingula pulvinaria: in medio Michaël altior: d. ſceptrum.

63

63

† ROMAN. . . . AN.M. *Romanus Aug.* Christus capite nimbo cincto ; medius stans inter Romanum Diogenem , et Eudociam coniugem : manus diversas imponit capitibus Augustorum . Supra Christum est : $\overline{IC}$. $\overline{XC}$. Romanus d. globum Crucigerum tenet .

Constantinus , Michaël , et Andronicus erant Eudociae filii ex Constantino Duca , et privigni Romani Diogenis , qui Eudociam Ducae viduam , uxorem duxit .



IN

IN GRAECAM INSCRIPTIONEM ASIATICAM SVPERIVS ADLATAM ANIMADVERSIONES P. EDVARDI CORSINI


CL. REG. SCOL. PIAR.

IN PISANA ACAD. PROFESSORIS

AD ANT. FRANCISCVM GORIVM

PRAEPOSITVM BAPTISTERII FLOR.

ET IN PATRIA ACADEMIA PROFESSOREM





Raeclare de me, GORI CLARISSIME, deque ſtudiis hiſce meis mereri pergis, ubi ſelectas eruditorum hominum lucubrationes, eaſque inprimis, quae vix ac ne vix quidem ad nos perferuntur, mecum perhumaniter communicas. Certe aureolum doctiſſimi FROELICHII Libellum, cuius nuperrime mihi copiam feciſti, ſumma cum animi voluptate percurri; atque in ipſo eamdem illam omnigenae eruditionis ubertatem, ingenii vim, ſeverioris criticae, penitiorisque doctrinae copiam ſuſpexi, quam in ceteris diligentiſſimi Scriptoris Operibus iampridem admirari, meritoque efferre con-

ſueveram; quod etiam factum ab Inluſtri Wachtero me monuiſti, qui hunc ipſum librum valde probat, et in Archaeologia ſua Numaria multis laudibus proſequitur. Itaque, AMICE GORI, maximas tibi gratias ago; enixeque a Te peto, ut quidquid in poſterum tibi occurrat, quod mihi aut voluptati, aut praeſidio eſſe poſſit, liberaliter largiri velis. Quandoquidem vero libellum ipſum novo etiam cultu exornatum, auſpicio, curiſque tuis, brevi proditurum mones; atque pro veteri neceſſitudine poſtulas, ut libere ingenueque tibi communicem ſi quid in veteri Inſcriptione, quae poſtremam Libri partem occupat, quaeque Tibi adhuc implexa, et obſcura videtur, vel corrigendum, vel illuſtrandum eſſe coniecerim; conſilio, imperioque tuo morem geram: quaeque obiter in tanta temporis anguſtia, Faſtorumque meorum Opere, quo diſtineor, obſervavi, breviſſime exponam: quae ſi Tibi, celeberrimoque Froelichio probari fortaſſe poſſint, in nova Operis editione coronidis cuiuſdam inſtar adiungi, novaeque coniecturae, aut interpretationis loco, proponi poterunt.

Ac priores quidem tres eximii Marmoris verſus perſpicue, optimeque a Clariſſimo viro latine redditi ſunt; niſi quod

ille

ille Muratorium ſequtuus, Graecas voces ΣΟΣ ΤΕ ΠΑΤΗΡ interpretatur *Tuus pater eſt*; quum potius Epigraphes auctor, qui voti fortaſſe reus, Anubidem hoc anathemate honoravit, vocibus illis non *Anubidem* ſolum, ſed eius etiam patrem *Serapidem*, ſimulque matrem *Iſidem* ſalvere iuſſerit. Itaque ſuſpicor ita reddendum; *Salve Anubi*.... *tuuſque pater*; itidemque in 5. verſu *tuaque mater* valeat.

In 4. verſu legendo reddendoque a doctiſſimi viri ſententia atque interpretatione libens diſceſſerim. Quid enim heic oratio ad *Anubidem* directa repente abrumpatur, atque ad *Serapidem* veluti a *Caelo celebratum* convertatur; quum initio *Anubis* ipſe advocetur, moxque *ipſius mater* Iſis dicatur; quod ad Serapidem referri certe non poterit, qui Iſidis non *filius*, ſed *coniux* fuit? Quid *Serapis* a *Caelo* celebratus dicatur, quum *Serapis* ipſe, Varrone teſte, ſit *Caelum*, adeoque a Caelo laudari non poſſit? Si quid coniecturis heic aſſequor, Epigraphes auctor tertio quartoque verſu non aliud, quam varia Oſiridis nomina, complecti voluit; otimeque dicit, quod *Oſiris* eſt *Iupiter Saturnius*, *magnus*, ac *praepotens Ammon*. Itaque, quum ex Mythologis conſtet, quod *Oſiris* ipſe erat etiam *Serapis*; hoc eſt, ille *Serapidis* etiam

nomine vocabatur, in quarto verſu non aliud, quam duo alia Oſiridis nomina vel epitheta continentur; ac praeſertim quod *Oſiris* ipſe *Serapis* erat. Hinc initio quarti verſu non ΟΥΡΑΝΟΣ, ſed ΚΟΙΡΑΝΟΣ, legendum arbitror; ut ſenſus ſit, quod unus idemque Oſiris tum *Iupiter Saturnius*, tum *magnus*, *potenſque Ammon*, tum *Rex immortalium*, tum *Serapis* etiam eſſe, vocarique debuit. Maxima ſolum obſcuritas atque perplexitas in penultima voce reperitur, in qua Bimardus legerat ΠΡΟΤΕΡΟΝ ΗΤΑΙΣΕ; Bohnius, ac Froelichius ΠΡΟΤΕΠΜΝΗΤΑΙΣΕ; Marmoris apographum ΠΡΟΤΕΠΝΗΤΑΙΣΕ. Ego vero mutilam vitiatamque vocem ita refingendam arbitror, ut illa purum putumque Serapidis attributum, vel epitheton contineat. Itaque ſuperſtitum characterum formam ſequutus, pro ΠΡΟΤΕΠΝΗΤΑΙΣΕ, legerim ΠΡΟΤΕΝΝΗΤΩΡΤΕ. Etenim facile in exeſis praeſertim, vitiatiſque Marmoribus, Ν cum Π, itemque Ω cum Α, et Ρ cum Ι confundi poterat, ut ſexcentis exemplis aliis oſtendi poteſt. Quin etiam quum ex ambiguo promiſcuoque ſono; characteris Η, et diphthongi ΑΙ facile a quadratario ΑΙ pro Η ſubſtitui potuerit; ſcribendum fortaſſe fuerat ΠΡΟΤΕΝΝΗΤΗΣΤΕ. Nihil eſt enim quod ſylla-

ſyllabam ΠΡΟ, quae corripienda fuerat, hic produci miremur; quum monoſyllaba, alioquin brevia, ſaepiſſime producantur; pluraque Graeci in varianda ſyllabarum quantitate ſibi arrogaverint. Optime vero Serapis *immortalium Rex*, ac *progenitor* appellatur; quum Caelum, quo nomine *Oſiridem*, ac *Serapidem* intelligendum eſſe iam monui, Deorum primus, atque antiquiſſimus haberetur. At neque *Serapidis* ſolum, ſed *Apidis* etiam nomine *Oſiris* appellabatur; adeoque unum idemque maximum Numen et *Apis*, et *Iupiter*, et *Serapis* vocabatur. At inde certe, ut id obiter moneam, explicandam exiſtimo Gemmae inſcriptionem, quae doctis viris hactenus impoſuit. Apud Cauſeum in *Romano Muſeo Sect. I. Tab. 63.* Numen quoddam Gemmae inſculptum conſpicitur, quod modium capiti impoſitum, ſceptrumque dextera gerit; ipſique pone ſiniſtrum pedem triceps animal aut canis adhaeret, cum his characteribus in orbem fere diſpoſitis.

ΠΙΙC ΖΕΥC CΑΡΑΠΙC

Cauſeus in primo charactere, veluti ſigla quadam, vocem ΜΕΓΙCΤΟC, et ſecundo tertioque IC vocem ICΟC deliteſcere exiſtimavit; adeoque legit CΑΡΑΠΙC

ΜΕ-

ΜΕΓΙϹΤΟϹ ΙϹΟϹ ΖΕΥϹ: vel ΙϹΙΚΑΚΟϹ ΖΕΥϹ; asseritque, quod *ipsum* Serapidem *et Maximum*, *et Iovi aequalem declarat inscriptio Gemmae incisa*. Ego vero characterem ⊓ ex Α et Π una coniunctis coaluisse putaverim; quum praesertim character Α in voce ϹΑΡΑΠΙϹ hac ipsa facie Ħ effingatur; transversaque lineola aut a Scalptore, aut a Pictore facile dissimulari potuerit. Itaque fidenter lego ΑΠΙϹ. ΖΕΥϹ. ϹΑΡΑΠΙϹ; eaque Gemma, symbolisque ipsi insculptis perspicue expressum existimo unum idemque Numen *Apidis*, *Iovis*, *Sarapidis* nomine decorari.

In 7. versu non ΟΡΕΧΕΝ, quod doctis tamen viris placuisse video, sed ΘΡΕΨΕΝ, ipse legerim; ut nimirum facilis ac perspicuus sensus sit, quod Isidem Caelum quidem *genuit*; sed *Erebus* tamen *nutrivit*. Itaque reddendum existimo - *Tuaque mater beata Dea multinominis Isis, quam genuit Caelum laeta facie in fluctibus Ponti rutilantibus, nutrivitque Erebus*.

Cetera, quae mox consequuntur, sic interpungenda, distinguenda, ac explicanda putaverim, ut omnia ad Isidem Anubidis matrem, veluti tituli epitheta, vel ut Grammatici loquuntur, *appositorii casus* referantur: ut sensus nimirum sit,

quod

quod Caelum genuit, Erebusque nutrivit *Isidem lucem omnibus mortalibus, beatorum antiquissimam, sceptrum in Olympo habentem, Divamque et Terrae, et Maris Reginam.*

Etenim in 8. versu minus accommode accurateque legitur ΜΑΚΡΟΝ ΣΚΗΠΤΡΟΝ, latineque redditur *magnum sceptrum;* sed facili levique mutatione rescribi debet ΜΑΚΑΡΩΝ: tum ut sensus concinnior sit; tum etiam ut versus ratio constet. Siquidem ante vocem ΟΛΥΜΠΩ vox ΕΝ, quae temere a quadratario omissa fuit, restitui debet; proximoque loco non ΠΡΕΣΒΙΣΤΗΝ, quae nihil vox est, sed ΠΡΕΣΒΙΤΑΤΗΝ, legendum erit; quod nempe Isis beatorum ac immortalium omnium antiquissima censeretur.

Ac certe quidem haec omnia Isidis attributa, quae in Epigraphe memorantur, facile pluribus veterum testimoniis ostendi possent, quae fuse a Mythologis proferuntur. Sic, ut innumeros alios praeteream, apud Apuleium *Metam. Lib. II.* Isis vocatur *Elementorum omnium Domina, seculorum progenies initialis, summa Numinum, Regina Manium, prima Caelitum... quae Caeli luminosa culmina nutibus dispensat,*

ſat, cuius numen unicum nomine multiiugo totus veneratur orbis.

Haec ſunt, GORI DOCTISSIME, quae in breviſſimo Marmore ſuppleri corrigi, vel reſtitui poſſe putavi. Quid in prolixiori Herculis Farneſiani Marmore; quod tu ipſe iam pridem in Donianis edideras, ſupplendo, illuſtrandoque, Te argumentum huiuſmodi proponente, hortante, et Tabulam ipſam aeri inciſam publico bono mihi ſuppeditante, praeſtiterim, brevi inſpicies.

Piſis Nonis Novembris anni CIↃ. IↃ. CC. L.

LAVS


SOLI DEO VERO




II



VI



VII





VIII




i. *Post paginam* ...















Tab. 1.

Post paginam xvi













Tab II — Post paginam 48





















Tab II. *Post paginam 48*


XX







XXI






XXII




XXIII




XXIV





XXVII






Tab III. post paginam 78.

XVIII




XX

XIX



XXI

Pars XXV *Posterior*




XXII


XXIII

XXIV

XXVI



XXVII




Tab III. *post paginam 78*


XXVIII
ΕΠΙ ΣΠ ΑΤΤΑΛΟΥ ΤΒ
ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ


XXIX
ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ
ΕΠΙ Γ. ΜΑΥΡΕΥΝΟΟ


XXX
ΒΟΥΛΗ


XXXI










Tab IV. *post paginam 98*










V. Poſt Paginam 115



Tab. V. Post Paginam 115

94-B3'81

5 lav.

vindima

e ma festa

(ultima) 5-[illegible]

116